

OTECA NAZIONALE



Vniuersa nobis Trinitas in Suis operibus intimatur.
S. Aug. L. ij. de Ciuit. c. 24.

PLANISPHÆRIUM
VERSATILE,
Præmissâ Sphæræ Mundi,

quam repræsentat,

PARTIUM & CIRCULORUM
Non minùs utili, quàm curiosâ descriptione,
Quoad sui facilitatem ac universalitatem,
Per plusquàm 200. Problemata Astronomica Solaria, ac Lunaria, Horographica item, Geographica & Geometrica, atque etiam Trigonometrica priorum demonstrativa, tam Logarithmicè, quàm ex ipso Planisphærio resolvenda,

DECLARATUM,

ET

Nondiscentium solummodò utilitati, sed exercitatorum quoque commoditati

CONSECRATUM

à



P. M. JOANNE BAPTISTA ININGER Ordinis Eremit. S. AUGUSTINI.



Cum Privilegio S. C. M. & Facultate Superiorum.

MONACHII,

Sumptibus JO: JACOBI REMY Bibliopolæ.
Typis Mathiæ Riedl, 1718.

DE PLANISPHÆRIO.

Prooemium.

PLANISPHÆRIUM, *ut ex etymologia Nominis constat, nihil aliud est, quàm* Sphæra *in* Plano *descripta, seu Instrumentum planum, totam in se Primi Mobilis doctrinam continens, ac Mundi Centrum, Axin, Polos, Circulos, Parallelos, Ascensiones, Descensiones, Amplitudinem ortivam & occiduam, Azimuth, Almucantarath, Crepuscula, aliáque plurima oculis exhibens.*

Minimè me latet, primæ notæ Viros, ac de Mathesi optimè meritos, diversa Astrolabia, Planiglobia, & Planisphæria orbi scientifico proposuisse, eáque more suo eruditissimè explanâsse; attamen quia aliqua minùs universalia esse, alia verò magis laboriosa, & magno nimis Regularum, Cursorum, Horizontium ac Suppedaneorum apparatu indigere videntur, ideò præsens nostrum

Planisphærium, orbe versatili instructum, ac unicâ Regulâ contentum, tanquam universalius, simplicius, ac intellectu facilius, præsenti Opusculo explicandum elegimus.

Ut autem Sphæræ Mundi, quam Planisphærium repræsentat, aliqualis saltem notitia habeatur, in Prima opusculi Parte brevem Sphæræ Partium, & Circulorum descriptionem damus, à Sphæra Elementari ad Cælestem progrediendo; aliorum verò opiniones referimus potiùs, quàm examinamus, & quæ in alijs rara vel curiosa hinc inde dispersim inveniuntur, occasionaliter hîc in compendio inserimus.

Descriptioni Sphæræ Mundi sub finem Primæ Partis etiam Modum construendi ac delineandi Planisphærij nostri subnectimus, ad plures alios usus ac divisiones faciendas applicabilem.

In Secunda Parte utilitatem, facilitatem, ac universalitatem Planisphærij per 200. Problemata Astronomi-

mica Solaria ac Lunaria, Horographica item, & Geographica, tam theorica, quàm practica, tam Logarithmicè, quàm ex ipso Planisphærio resolvenda commonstramus.

Quòd autem pro una, eadémque v. g. Altitudine Solis, Horâ diei, Declinatione, aut Elevatione Poli &c. inveniendâ 8. 10. vel etiam plura ponantur Problemata, nec mirum cuipiam videri, nec absque speciali utilitate & commoditate factum censeri debet; cùm idem Inventum ex diversis fundamentis & capitibus eruatur, ut siquidem similia calculare volens uno vel altero necessario præsciendo destitutus sit, ex alio fonte desiderata haurire possit.

Operationes longiores, siquæ subinde afferantur, absterrere neminem debent, cùm Dij laboribus omnia vendant; imò dummodò quis rem aggredi tentet, & ab uno Log.mo ad alium juxta ductum Regularum præscriptarum progrediatur, nullam insuperabilem difficultatem, sed magnam etiam facilitatem subesse deprehen-

det, quam quisque longè majorem experietur, si ea, quæ de usu Tabularum Sinuum & Logarithmorum prævie ad Problemata dicemus, non solùm attentè legat, sed & relegendo, ac practicando sibi magis familiaria reddat.

In fine Libelli Tabulas etiam diversas pro rei exigentia & utentium commoditate non tantùm subministrabimus, sed insuper modum eas conficiendi singulis præponemus, ut quivis pro quocunq; exemplo sibi proposito, & pro cujusvis Loci Latitudine gradus ac minuta supputare sciat.

Cæterum sicut hîc non pro Doctis, sed pro Tyronibus, ac in Mathematicis proficere cupientibus scribere cogitamus, ita fore confidimus, ut his ritè perceptis ad altiora dein viam & animum parent.

Denique indignum Authoris Nomen tenus huic Opusculo non Ipse, sed inviolabilis Superiorum voluntas præfixit. Tu verò, Lector amice, *humanis defectibus admissis clementer indulge, & hîc diutissi è, tunc verò, super Astra vectus, æternùm vale.*

PARS

PARS I.

De Sphæra Mundi, ac inibi contentis

CAPUT I.

De Sphæra Mundi Elementari.

NOmine *Sphæræ Mundi*, quam *Planisphærium* explicat, ac repræsentat, intelligitur visibilis hæc totius Mundi Machina, ex Cæiesti, ac Elementari compaginata. In *Sphæra Elementari* locum infimum, seu medium occupat *Terra*, utpote Elementum omnium gravissimum, ita ut, si per divinam Potentiam extra Mundi centrum poneretur, ea suæ denuò permissa libertati, illud, sicut omnia gravia, sponte repeteret. Circa quam hîc obiter noto sequentia.

Primò, Figuram ipsius, saltem communi hominum æstimatione, rotundam esse, prout contra veteres Philosophos, eam Columnæ, Cylindro, Tympano, Cono, Disco cavo, vel etiam Mensæ planæ similem contendentes, dudum demonstratum est, tum ex umbra Eclipsis Lunaris, per Terræ interpositionem causatâ, ac semper rotundâ observatâ; tum quia accedentibus ad alterutrum Polorum, Stellæ circum-Polares ordinatè

ſemper magis elevari, recedentibus verò deprimi viſæ ſunt; tùm quia 15. gradibus v. g. procedentibus versùs ortum Sol ac Sidera unâ horâ citiùs, ſicut ad Occaſum tendentibus tardiùs oriuntur, ita ut, qui totam circuiret Terram versùs Ortum, jam integrum diem lucraretur, versùs Occaſum verò integrum diem perderet. Hinc autem facilè ſolvitur Problema, quomodò ſi tres homines eâdem horâ nati eſſent, fieri poſſet, ut unus v g. cum veritate diceret: *heri complevi 30. annos*, alter: *ego hodie*, & tertius: *cras ego complebo*; ſi enim primus peragrâſſet totum Orbem Terræ versùs ortum, jam in ætate ſua proficeret integro die, tertius verò, qui idipſum præſtitiſſet versùs occaſum, numeraret integro die minùs, ac denique medius intereà domî commorans, teneret ætatem inter utrumque mediam, ut cogitanti facilè patebit. Utrùm autem ille primus, ſi ob dictam anticipationem jam numeraret diem Dominicam, poſſet domî ſuæ, ubi primùm ageretur dies Sabbati, carnibus veſci, vel cum alijs teneretur ad abſtinentiam? Item utrùm is ipſe Primus taliter uno die ſenior factus altero quopiam ex ſua familia, qui tamen ipſum nativitate unâ horâ præcederet, v. g. Majoratu gauderet? Theologis ac Jurisperitis decidendum relinquimus. Interim dicerem quoad 1.um talem debere ſe

alijs

alijs accomodare quoad observantiam legis, præsertim universalis, ac tali diei affixæ, nec ipsi patrocinari hanc suam anticipationem penitùs extraordinariam, quæ proinde, respectu legis communis meritò censetur habere se merè per accidens. Quoad alterum prior nativitate esset potior jure, cùm reverà sit natu major; nam ille primus quidem Solem vidit sæpiùs, sed alter citiùs.

Ex hactenùs dictis autem constat, quòd quandocunque unus locus 15. gradibus est Orientalior altero, is jam unâ horâ diem anticipet, si 30. aut 45. gradibus, etiam anticipatio fiat 2. vel 3. horis; si autem unus locus est Occidentalior altero, tantò seriùs etiam horas diei numerare incipiat. Sic enim quando hîc Monachij est hora 12.ma, in Polonia jam erit hora 1.ma, in Palæstina 2.da, in Arabia felice 3.ia, &c. Econtrà versùs Occasum in Anglia primùm erit hora 11.ma, in Islandia 10.ma, in Grœnlandia verò 9.na, &c. Unde haud difficile erit Horologium universale construere, quod mediante horologio rotatili, vel etiam indice simplici, ad quamvis horam datam versatili, quota ubivis locorum per universum terrarum Orbem hora sit, demonstret; locus enim indici substans semper habebit Meridiem, locus verò diametraliter oppositus mediam noctem, unde

& reliquæ horæ diei (numerando eas à dextra sinistram versùs) facilè erui & computari poterunt, cujus proinde schema hîc apponendum censui.



Quòd si aliquis independenter ab omni indice tantùm scire cupiat, quota alibi sit hora, dum nos habemus Meridiem, inverso modo instrui debet Horologium, & Regiones

nes illæ, quæ hic adſcriptæ ſunt horæ I.^mæ, attribui horæ XI.^mæ & viciſſim, ordine qui ſequitur.



Secundò. Licet S. P. Aug. l. 20. de Civit. Dei c. 16. de inferno dicat: *Quis ignis cujusmodi, & in qua mundi vel rerum parte futurus ſit, hominem ſtire arbitror neminem, niſi fortè cui Spiritus Divinus oſtendit.* Unanimi tamen ferè


ferè omnium SS. PP.rum consensu traditur, infernum in infimo terræ loco, seu centro constitutum esse, ut qui se ab ultimo fine per peccatum avertunt, ultimum etiam in sensibili natura locum occupent; unde haud improbabile est, quod ex natura centri infert Kircherus in Mund. subterraneo l. 1. c. 3. Parad. 2. in fine, corpora damnatorum post resurrectionem, halecum instar, in unam superficiem sphæricam conglobanda, ac tantò acerbiùs mulctanda fore, quò centro fuerint propinquiora, tamdiu quidem, quamdiu erit Deus, nimirùm in omnem æternitatem. Cæterùm si Infernus amplitudine sua adæquaret sphæram, undique ad unum milliare Germanicum extensam, & uni corpori humano concederetur spatium 12. pedum cubicorum, caperet is 348888888333. si ergo singulis diebus 100000. damnarentur, prædictus numerus non exhauriretur, nisi 9312. annis.

Tertiò. Tellus, quemadmodùm totus mundus, congenitâ sibi innumerabilium rerum Panspermiâ, seu materia seminali pollet, quæ caloris obstetricantis virtute innumerabiles rerum fœtus producere possit. Hinc terræ moles non est undique constipata, ac solida per totum, sed à superficie extrinseca,

usque

usque ad ipſum Centrum, ingentibus canalibus, & cryptis igne, aquâ, aëre, ventóque refertis inſtructa, quibus mediantibus naturæ ſemen digeritur, digeſtum per innumeros canales, porósque, vapore, atque exhalatione terreſtri veſtitum egeritur, ut, ubicunque aptè diſpoſitam materiam invenit, ibi varias rerum formas fixatione, coagulatione, calcinatione, putrefactione, aliísque ſimilibus operationibus inducat, ac Mineralium quoque varietatem in terræ viſceribus producat. In exteriori quoque ſua ſuperficie, per occultiſſimos meatus, quibus ſcatet, plures hîc aquæ ductus panſpermiâ quadam referti, virtutum occultarum egeſtores, illic Vulcanij camini, quaſi fuliginum exhalatores, alibi anfractus Æolij ventorum efflatores, ita ſapienter ſunt ordinati, ut Geocoſmus cum Megacoſmo perfectam in omnibus analogiam ſervet. Habet ergò Tellus abdita intra ſe elementorum receptacula, ac veluti cuſtodias, tam particularibus, quàm univerſalibus uſibus reſervatas. Et quidem, quia elemento Ignis proprium eſt, ab infimo ad ſuprema tendere, ideò connaturale erat in Centro mundi principalem Ignis ſedem ſtatuere, ut ex hoc per pyragogos meatus, ceu ramos in univerſum Telluris corpus undique diffuſos, ac diverſa ignis receptacula usque

ad



ad ipſam terræ ſuperficiem continuata, junctis ſemper hydrophylaciis, ac aërophylaciis, individuò ſeſe conſortiò juvantibus, ac contemperantibus, denique per apertos caminos ſuas efflent fuligines, ut ex adjecto ſchemate colligere licebit.

Quartò denique, ſicut in microcoſmo, ſeu homine mirabilis oſſium compactura cor-

pori humano dat firmitatem, & consistentiam, ita in Geocosmo saxeorum montium undequaque concatenatorum structura globo terrestri non ex unius generis gleba, sed diversis Mineralibus, pulveribus, cineribus, & arenis, &c. de se facilè solubilibus compacto, contra tantam aquarum alluviem, & commixtionem, perfectam largitur consistentiam, eúmque hac suâ quasi ossaturâ firmiter continet, & constringit.

Telluri partim infusa, & partim circumfusa est *Aqua*, maribus, fluminibus, lacubus, ac fontibus distincta, & cum Terra unum *Globum terraqueum*, seu *Terraquam* constituens. Unicus autem in toto Terrarum Orbe est Oceanus, circa quatuor mundi partes ita continuatus, ut nullus sit Oceanus, aut mare, quod non eidem in aliqua mundi parte, sive per freta, sive per occultos terræ cuniculos cohæreat, prout inferiùs c. 3. de immensa illa voragine aquarum in Terra Suppolari Arctica, ejusdémque regurgitatione in parte extremè opposita Antarctica pluribus ostendemus.

Licèt autem unus & idem sit Oceanus, ratione tamen diversarum Regionum, quas alluit, diversa sortitur nomina, ita ut unus Oceanus ab Atlante monte dicatur Atlanticus, alius Hybernicus, Germanicus, Æthiopicus,

picus, Americus, &c. Nullum tamen mare adeò diversis gaudet nominibus, quàm Mediterraneum, ob Regionum scilicet littora, quæ allambit. Mare *Rubrum* quod attinet, testantur Lusitani, qui illud pervagati sunt, apud Barrium Hist. Ind. decad. 2. l. 8. c. 1. aquas ejus esse limpidas, & omnis ruboris expertes, colorem autem rubrum provenire ex arenis rubris transparentibus, quibus fundus maris illius scatet. Diversissimas aquas in diversis tractibus induit colorum apparentias; sic enim mare *Mortuum* à lentore, & *Asphalticum* à bitumine sic dictum, Josepho teste, manè atrum, sub meridiem cæruleum, ac vesperi rubeum conspicitur; mare, quod Bandinas Insulas triginta milliaribus versùs Orientem dissitas circumfluit, Julio & Augusto nivis instar candescit, & tunc noxio quodam humore infici creditur. Ad certam quandam Insulam Americanam non procul à celebri Insula Cuba, Nierenbergio teste, ad triginta propè milliaria in circuitu mare instar lactis albescit, vel potiùs argenteo colore resplendet; sic etiam, qui marinis tempestatibus frequenter sunt jactati, testantur, mare per tempestatem commotam apparere velut metallum ignitum, ac fusum, sicut & manus eodem tinctæ, quod haud dubiè, ut plura alia taceamus,

ceamus, magnum naturæ miraculum censeri debet.

Magnitudo Maris nondum satis detecta est, dum aliqui duas eidem partes totius globi Terraquei, alij verò potiores Terræ, ac alij denique pares utrique attribuunt. Salsedo Maris, quæ ipsum, sicut omnia alia, à virulenta putredine conservare debet, probabiliùs à salinis particulis, sive sint mari coævæ, sive aliunde decisæ, atque aquis marinis commixtæ, adeóque à submarinis salifodinis continuò renascentibus dissolutæ, provenire censenda est; quamvis etiam Solis ardor ad eam multum contribuere possit.

Motus Maris generalis, directus, seu naturalis fieri solet ab Oriente in Occidentem; unde qui ex India Occidentem versùs in Africam, aut ex Lusitania, vel Hispania in Americam solvunt, longè citiùs iter suum conficiunt, quàm econtrà. Causa autem principalis hujus motus marini videtur esse Sol cum sua ab Ortu in Occasum devolutione, ac præsertim hujus cum Luna oppositione, vel conjunctione; constanter enim à nautis observatum est, in istis motum prædictum longè concitatiorem esse, quàm in quadraturis. Cujus ratio esse potest, quòd maxima Oceani pars Zonæ Torridæ subdatur, & consequenter alicubi à Solis radijs

normaliter feriatur, sicque ingens aquarum moles (& quidem juxta computationem Societatis Oxon.^fis^ ex solo mari mediterraneo, tempore æstivo ad minimum 5280 milliones doliorum) quotidie à Sole attrahatur, & attenuata in aërem aut vapores convertatur; unde necesse est, ut in attractarum, & consumptarum aquarum locum aliæ ab Ortu, vel utroque latere juxta motum Solis & Lunæ (in quadraturis non ita perfectè Oceanum respicientium) continuò succedant. Hoc tamen non obstante mare subinde pro occurrentium impedimentorum constitutione nonnihil deflectere, vel etiam circulari fluxu, imò aliter, & concitatiori motu per maris angustias, quàm in fundo plano procedere solet.

Alius Oceani motus componitur ex motibus contrarijs, & dicitur communiter *Æstus*, sive *Fluxus*, ac *Refluxus Maris*, éstque nihil aliud, quàm intumescentia, & detumescentia Maris, quæ magìs ad littora, quàm in alto Mari observari solet, quamvis in tota Oceani massa à fundo usque ad superficiem contingat, prout ex ingenti strepitu, & fragore per agitationem Maris collisorum lapillorum, conchyliorum, aliarúmque rerum aliàs in fundo jacentium colligitur. Et hic quidem Æstus Maris usque adeò à Lunari corpore, hujús-

hujúsque motu dependet, ut experientiâ teste, ad Ortum ejusdem inchoët tumor, crescátque continuò, usquedum Lunâ in Meridiano constitutâ, fiat summum Æstûs incrementum; posteà verò detumescat usque ad ejus Occasum; inde iterùm inchoët tumor, fiátque summus Lunâ in Imo cœli existente, & tunc denuò decrescat usque ad Ortum Lunæ, sicque mare intra 25. horas ad idem littus bis accedat, ac inde bis recedat. In Novi-ac Plenilunijs etiam Æstus est longissimè major, quàm in quadraturis, sicut etiam in Æquinoctijs, ut adeò non solùm Luna, sed etiam Sol, præsertim in oppositione, vel conjunctione cum Luna multum contribuat ad particulas salis, nitri, vitrioli, &c. quibus mare scatet, taliter concitandas, & agitandas, uti constat experientiâ; si enim catinus latior aquâ nitrosâ cum sale communi mixtâ impleatur, & nocte serena radijs Lunaribus exponatur, protinùs incipiet ebullire. Hic tamen Æstus, licèt regulariter dictô modô crescat, & decrescat, diversis tamen temporibus, ac locis variari, impediri, retardari, aut accelerari solet, ob ventorum nimirum, fundi, fluminum in Oceanum irruentium, ac ipsius Maris dispositionem inæqualem; sic enim in Mari Balthico, in sinu Mexicano, Insulis Moluccis, & Philip-
 pinis

pinis hic Æstus ferè est insensibilis, in Mari *Del Zur* Æstus tam excessivo recessu deficere notatur, ut in littore stantibus penitùs disparuisse videatur, in incremento verò tam impetuosus est, ut omnes obvias Insulas fluctibus contegat primò, tum verò domos ipsas, ac arbores in littore stantes obruat; dum econtrà eodem tempore in opposito Mari *Del Nord* vix sensibilis sit Maris motus. Plura de hac re qui volet, consulat Kircheri Mundum subterraneum tom. 1. l. 3. itemOeconomiam mundi mirabilem Joannis Zahn tom. 2. scrutin. 4.

Terraquam ambit *Aër*, communiter in tres Regiones distingui solitus, nimirùm infimam, mediam,& supremam. *Regio infima Aëris*, ubi ros, & pruina generantur, verosimiliùs ultra quingentos passus, seu medium milliare Jtalicum (quousque scilicetAër ex reflexione radiorum solarium incalescere potest) non extenditur. Sicut autem hæc incalescentia, ac rarefactioAëris pro magìs recta,vel obliqua radiorum incidentia, subinde major est,subinde minor, ut patet in Zona Torrida respectu Frigidæ, & Temperatæ, & in æstate, vel meridie respectu hyemis, vel temporis matutini, aut vespertini; ita etiam altitudo hujus Regionis Infimæ varia est, & inconstans.


Regio Aëris
Suprema.
Media.
Infima.

Media Aëris Regio, ubi Imbres, Nives, Grandines, ac cætera Meteora ortùm habent, ultra quatuor Milliaria Italica, seu unum Germanicum commune (quemadmodùm & Nubes) á terra non attollitur, adeóque sublimiorum montium vertices non assequitur, uti præter alios pluribus ostendit Schottus in Physica Curiosa l. 11. c. 2. Descendit autem, quousque Nubes descendere comprobantur; nempe ad dictos quingentos passus circiter, sive medium Milliare Italicum: sunt tamen hæ altitudines penitùs incertæ, & inconstantes, ut ex dictis patet. Frigida verò est mediâ Aëris Regio, tum quia calor radij solaris reflexi eò non pertingit, tum quia vapores eò delati, utpotè aqueæ naturæ, in absentia caloris extrinseci, qui calorem eorum adscititium conservet, sponte suâ redeunt ad frigus sibi connaturale, sicque Regionem hanc magìs infrigidant. Dicitur hæc Regio ab aliquibus etiam *Tenebrosa*, non quòd fortè talis sit, sed quòd à Dæmonibus inhabitetur, ut docet S. P. Augustinus in nova editione Parisiensi prima parte Tom. 3. fol. 540 Imò S. Hieronymus in illud Ephes. 7. v. 12. *adversùs mundi Rectores tenebrarum harum &c.* ait, hanc esse omnium Doctorum opinionem, quòd Aër iste caliginosus plenus sit huiusmodi spiritibus malis, quibus, cùm Lucis Principes esse noluerint, datum est, ut

sint

sint Rectores tenebrarum, in pænam, vel exercitationem hominum excitando ibidem imbres, coruscationes, tonitrua &c.

Suprema Aëris Regio I. calida est, propter exhalationes terrestres calidas eò subeuntes, ac ibidem stabulantes. II. Ultra 52. milliaria Italica, seu 13. Germanica à terra sursùm non extenditur, quia vapor, & exhalatio, quæ sunt materia Meteororum sublunarium, plerumque altiùs à terra non ascendunt, quod Argolus, Clavius, & alij colligunt ex crepusculis, quæ incipiunt, & finiuntur, quando halitus supremi in Aëre, qui Solis radios aliqualiter ad nos reflectere possunt, incipiunt, vel desinunt illuminari à Sole, infra Horizontem ortivum, vel occiduum existente, qui proinde altiores plerumque non esse deprehenduntur.

III. Licèt cælum Planetarum sit fluidum, ac plenum exhalationibus, è quibus Cometæ superlunares gignuntur, exhalationes tamen terrestres eò probabiliter non pertingunt; vel si violenter fuerint illuc impulsæ, pondere, & inclinatione sua naturali denuò tendent, ac relabentur deorsùm versùs Terram, tanquam centrum omnium gravium sublunarium, quales absolutè etiam sunt exhalationes è terra elevatæ; imò Æther supra concavum Lunæ existens, utpote levissimus non esset aptus sustentare exhalationes terrestres se gra-

viores. Sicut autem Terra est Centrum exhalationum Terrestrium, ita Lunarium erit Luna, Solarium Sol, ac reliquorum Planetarum reliqui Planetæ, ut habet Schottus cit. c. 5.

IV. Credibile est, motu Primi Mobilis, ac Siderum rapi quoque, & agitari etiam Aërem, licèt non tanta velocitate, quantâ rapiuntur Sphæræ superiores, prout communiter colligunt ex motu Cometarum ibi consistentium, præsertim sub Zona Torrida, ubi motus est omnium velocissimus, ut cogitanti facilè patebit. Denique Aër naturâ suâ tenuis, ac fluidus facilè se accommodat figuræ rotundæ Telluris sibi contiguæ.

Circa Aërem constituunt aliqui *Sphæram Ignis*, tanquam in loco sibi connaturali, quem volunt esse tenuissimum, ac Aëre longissimè puriorem; & hinc dicunt, eum nec lucere, nec urere, nec pabulo indigere, sed manere penitùs quietum, quia nullum habet ibi contrarium. Alij tamen meliùs dicunt, illum esse solummodò Ignem putatitium, cùm nec luceat, nec ardeat, adeóque potiùs defæcatum Aërem, seu Ætherem dicendum fore. Jgnis autem verus, ac realis, necessitate rerum ita exigente, hinc inde dispersus invenitur partim subtus Terram in meatibus subterraneis, ac ipso Inferno, partim supra Terram, ut quotidianâ patet experientiâ, partim in ipso Sole, aliísque igneæ naturæ corporibus. Ca-

CAPUT II.

De Sphæra Cælesti.

NOmine *Sphæræ Cælestis* intelligitur totum illud Mundi spatium, Stellas omnes cum suis motibus complectens, quod est inter Sphæram Elementarem, & *Aquas supercælestes*, quæ commemorantur Psal. 148. sed ad intentum nostrum non faciunt. Sphæram hanc celestem esse compositum quoddam materiale naturâ suâ corruptibile, præter claros Scripturæ textus in Apocal. & Isaiæ c. 65. de interitu Cæli & Terræ loquentes, satis convincunt Stellæ novæ ibidem generatæ, ac denuò evanescentes; sicut & Atmo-sphæræ corporum Cælestium, ex eorum continuis evaporationibus obortæ, uti pluribus probat Kircherus.

Totum hoc *Cælum Sidereum* aliqui cum Aristotele contendunt esse solidum, ac instar crystalli durum; alij hoc admittunt saltem de cælo Stellarum Fixarum, seu *Firmamento*. Probabilius tamen videtur, totum Cælum esse fluidum, ac permeabile, velut Aër ab avibus. I. quia inter ipsa Sidera Fixa visæ sunt novæ Stellæ, & supra Lunam Cometæ, uti notus ille 1618. qui ab Asterismo Lyræ transijt per Æquatorem, & Tropicum Cancri versùs Polum Arcticum, ubi extinctus est. II. Pla-

netæ, ut Venus, & Mercurius, diversissimis motibus nunc sunt supra, nunc infra Solem, nunc ad se invicem accedunt, nunc recedunt; imò Mars ipsam Orbitam Solis profundè intersecat, quæ omnia suppositâ soliditate Cælorum non nisi difficillimè explicantur. Sed de his videantur Authores communiter. Stellæ tamē juxta leges à Deo sibi præscriptas in Cælo liquido non minùs ordinatè moventur, quàm si orbi solido affixæ essent, sive deinde à solo Deo tanquam supremo omnium directore, uti cum quibusdam vult Lessius, sive ab intrinseco, vel, quod Kircherus & Schottus cum Dechales & alijs, probabilius judicant, ab Intelligentijs, qui posterior L. 1. Astron. propos. 6. idipsum ex S. Scriptura confirmat exemplo Iosue sistentis, & Achaz retrahentis Solem: atque etiam Lunæ in morte Christi à partibus orientalibus motu incitatissimo retrò actæ, ut Soli in illa admiranda Eclipsi (de qua infrà redibit sermo) per tres horas supponeretur, quæ omnia Angelorum ministerio, sicut custodia hominum ac Provinciarum, ita etiam quoad tam ordinatam Siderum directionem convenientissimè tribuuntur. Accedit, quòd soliditatis Cælorum Assertores tot ferè cælos, eósque excentricos, & Epicyclos realiter inter se distinctos admittere debeant, quot motus in Stellis observantur; unde communiter 10. vel

11. sta-

11. statuunt, alij plures, Fricastorius verò omninò 70. admittit, quos omnes distinctè enumerat Hieronymus Vitalis in suo Lexico Mathematico, verbo: *Cælum*.

Nos econtrà Cælum fluidum asserentes, conformiter Scripturæ tres universim admittimus Cælos, nimirùm *Cælum Aereum*, quò spectant *volatilia Cæli* Gen. 1. v. 26. & 28. Alterum *Cælum sidereum*, & quidem realiter unicum, in quo Scriptura collocat *Lunam, & omnia Astra Cæli*. Deut. 4. v. 19. ac denique *Cælum Empyreum*, illam sedem Beatorum, seu *Paradisum* Cœlestem, quò raptus est S. Paulus 2. ad Corinth. 12. Interim tamen Cœlum sidereum, licèt reipsa unicum, mente dividimus in varia spatia, ac Regiones, seu Cœlos partiales, quorum septem inferiores Planetis attribuimus, octavum verò, omnes in se Stellas Fixas complectens, licèt reipsa, ac per se loquendo non moveatur, nisi quatenùs scinditur, secundùm partes protruditur, ac ponè trahitur à Stellis in eo motis, concipimus tamen tanquam Firmamentum, utpote in quo Stellæ ita *firmiter* & constanter eandem semper servant inter se, & ab Ecliptica distantiam, ac si tanquam clavi aurei, aut Pyropi lucivomi eidem infixæ essent; unde etiam doctrinæ causâ illud nobis imaginamur, circa Axin, & Polos unà cum Astris, & omnibus circulis, in

eò pariter sola mente conceptis, 24. horarum spatiô perpetuò moveri ab Oriente in Occidentem, sicque tanquam Primum, supremum, ac velocissimum Mobile, simul secum rapere inferiores Orbitas, seu Cœlos Planetarum; ferè sicut Sphæram, seu Globum materialem Cæleste, cum Stellis, & circulis eidem appictis (Meridiano, & Horizonte exceptis) circa suum Centrum, Axim, & Polos ab ortu per Meridiem in Occasum, & inde denuò per mediam noctem ad Orientem moveri conspicimus. Similiter ut motus diversissimos Planetarum (cùm modò sint *Apogæi*, seu remotiores à Terra, modò *Perigæi*, seu eidem propinquiores) explicare, ac pro quovis tempore calculare possimus, varios concipimus, si non Orbes, saltem Circulos.

Prætereà duplex potissimùm Stellarum motus (reliquos enim extraordinarios hîc examinare non vacat) ab Astronomis agnoscitur: unus dicitur *Motus Primus*, éstque omnibus Stellis *communis* nimirùm ab Oriente in Occasum, de quo paulò antè dictum est; non tamen est perfectè sphæricus, sed nonnihil spiralis, nec servant Stellæ idem punctum Ortûs, vel Occasûs in Horizonte, nec eandem altitudinem meridianam, sed quotidie mutant, Sol, & Planetæ inferiores quidem valde sensibiliter,

mi-

minùs sensibiliter superiores, insensibiliter verò Stellæ Fixæ.

Motus Secundus, seu *Proprius* Stellarum fit ab Occasu in Ortum; observatum enim est, non tantùm Solem, & Lunam (quod omnibus patet) sed & reliquos Planetas non servare eandem inter se, vel à certa Stella Fixa, aut gradu alicujus Signi Zodiaci distantiam, sed alio die jam inde discessisse versùs partes orientales; imò notatum est de ipsis Stellis Fixis, seu Signorum constellationibus, eas à tempore Hipparchi, primi Astronomicorum Instrumentorum Inventoris, ad hæc usque tempora plusquàm 28. gradibus, adeóque integro ferè Signo versùs Orientem retrocessisse, quod magìs declarabitur, ubi de Zodiaco agemus. *Motus* autem stellarum *Secundus*, *ac Proprius*, & quasi retrogradus non est realis, sed apparens propter retardationem, quatenùs scilicet non omnes Stellæ intra 24. horas simul integrum circulum, seu spiram perficiunt, sed quando Sol v. g. suam jam perfecit, Luna nondum absolvit suam, sed retrò manet, sicqúe retrogredi nobis videtur ab Occidente in Orientem. Hoc ipso ergò, quod Astra lentiùs moveantur circa Terram motu reali, ac vero, quàm puncta Cœli, motu imaginario diurno, in quibus existebant in principio motûs, ideò retardantur, & propter hanc retardationem motu retrogra-

do

do reptare creduntur à Cœli solidi assertoribus; ferè sicut limax violentiâ motûs rotæ cum hæc raperetur per plurimas revolutiones, quousque nisu, ac motu suo contrario, & retrogrado successivè absolveret totam rotæ circumferentiam; quod tamen nos reipsa ita fieri negamus, sed solummodò doctrinæ causâ ita à nobis concipi contendimus, prout plurimi explicant tam Antiqui, quàm Recentiores.

Stellæ autem in Cœlo sidereo contentæ, aliæ dicuntur *Fixæ*, seu Firmamenti, eò quod firmiter semper eandem inter se, & ab Ecliptica distantiam servent, ac si eidem affixæ essent; aliæ *Errantes*, nimirùm *Planetæ*, qui ordinem suum (non tamen sine ordine) situm, ac distantiam tam inter se, quàm à Stellis Fixis, & ab Ecliptica continuò mutant.

Quoad numerum Stellarum Fixarum (quarum aliquæ alijs altiores sunt, seu Cœlo sidereo profundiùs immersæ) licèt Antiquiores cum Ptolomæo solummodò 1022. visibiles numeraverint, Recentiores tamen longè plures assignant; imò Rheita in solo Orione 2000. tubô se observâsse testatur, ut adeò Ricciolius in Almagesto dicere non dubitârit: *Si quis Stellas ultra vicies centena millia putet, mihi quidem nihil inopinabile finxerit.* Solus ergò Deus est, qui Psal. 146. *numerat multitudinem stel-*

Stellarum, *& omnibus eis nomina vocat.* Periodum suam juxta Tychonem Brahe, quem etiam sequitur Argolus l. 1. Astron. c. 16. intra annos circiter 25411. conficiunt, intra annum verò 51. min. sec. alijs aliter, adeóque in incertum sentientibus.

Planetæ sunt septem sequentes, videlicet: Saturnus ♄, Jupiter ♃, Mars ♂, Sol ☉, Venus ♀, Mercurius ☿, Luna ☾ memoriæ causâ, ordine tamen retrogrado his versibus comprehensi:

Cynthia, Mercurius, Venus, & Sol, Mars, Iovis astrū.
Postremò tardus graditur Saturnus in Orbem.

♄. ♃. ♂. dicuntur *Planetæ superiores*, ☉ *Medius*, ♀. ☿. ☾. verò *Inferiores*. Tanta autem est Authorum circa distantiam, ac soliditatem seu magnitudinem Stellarum ac Planetarum discrepantia, ut quivis computum suum aliter, ac subinde idem Author non satis cohærenter faciat, quod electionem certè difficilem reddit. Ego in hoc puncto inter Antiquiores ex Tychone, quem plerique olim secuti sunt, inter Recentiores verò ex Astronomia Carolina, ut differentia opinionum tantò magis elucescat, de singulis Planetis sequentia supputavi. Quoniam verò distantias eorundem, ac soliditates in ordine ad diametrum vel semidiametrum Terræ metiri solemus, ideò

ideò de his pro faciliore dicendorum intelligentia præmittendum est, *diametrum Terræ* continere 1720. ferè Milliaria Germanica, semidiametrum verò 860. Mill. Germ. circumferentia Terræ est 5400. Mill. Germ. tota verò illius superficies convexa 9288000. ac denique tota ejus soliditas 2662560000. Mill. cubica.

Ut autem quivis similia computare, & per consequens etiam corporibus Planetarum applicare queat, sciendum est, de facto satis convenire inter Geographos & Astronomos, præsertim Germanos, uni gradui Circuli Maximi convenire 15. Mill. Germ. communia, si ergò 15. ducas in 360. gradus, prodibunt pro circumferentia Terræ 5400. Mill. Hinc autem erues ejus diametrum, si dicas: sicut se habet 314. ad 100. ita dicta peripheria ad ejus diametrum, & invenies $1719\frac{2}{3}\frac{34}{14}$ seu proximè, non attendendo ad fractiones, 1720. consequenter hujus dimidium, nempe 860. erit semidiameter Terræ. Jam verò superficiem convexam habebis, si dictam circumferentiam 5400. multiplices cum diametro 1720. prodibunt enim 9288000. Denique soliditatem Terræ in Milliaribus Cubicis habebis, si tertiam dictæ superficiei convexæ partē, nimirūm 3096000. ducas in semidiametrum Terræ, invenies enim pro soliditate illius 2662560000.

Mill.

Mill. Cubica. Hac ipsa occasione etiam de Milliaribus Italicis, Leucis Gallicis, Hispanicis, Belgicis, ac universim de Mensuris apud Geometras ac Mathematicos magìs usitatis breviter dicemus. Itaque *Granum* omnium Mensurarum minima, est latitudo grani hordeacei, quorum 4. faciunt *Digitum*, *Palmus* æquivalet 4. digitis, *Pes*, qui non est æqualis ubique magnitudinis, & subinde in 16. digitos, communiùs autem in 12 Pollices dividitur, constat 4. palmis, *Cubitus* continet sesquipedem, *Passus communis* $2\frac{1}{2}$ pedes, *Passus Geometricus* 5. pedes, *Stadium* 125. passus, *Milliare Italicum* 8. stadia, seu 1000. passus, unde Milliaria vocantur, quæ Romani Cippis seu Lapidibus notârunt; unde *quarto ab Urbe Lapide*, idem sonat, ac quarto ab Urbe Milliari. Sic Lucæ 24. Castellum Emmaus dicitur dîstare 60. stadijs ab Ierusalem, id est $7\frac{1}{2}$ Mill. Ital. seu $2\frac{1}{2}$ Leucis, sive $2\frac{1}{2}$ circiter horis. Quatuor Italica, seu 4000 passus dant unum *Germanicum commune*, 5000. passus verò *Germanicum majus*. *Leuca Gallica communis* est horaria, quarum 25. tribuuntur uni gradui, *Leucæ Marinæ*, prout in Tabulis Geographicis communiter accipi solent, 20. congruunt uni gradui. Mensuræ autem communes his versibus comprehenduntur:

Quattuor ex Granis Digitus *componitur unus*:

Est quater in Palmo *digitus, quater in* Pede *Palmus:*
Quinque pedes Passum *faciunt, Passus quoque centum*
Viginti quinque Stadium *dant: sed* Miliare(nim. Italicum)
Octo dabunt Stadia: duplicatum dat tibi Leucam.
Ubi tamen singulariter notandum est, uni gradui *Circuli Maximi* competere 7½ Milliaria Danica, 12. Suecica, 15. Germanica communia, 17½ Hispanica, 18. Livonica, 20. Hollandica, & 20. Leucas Marinas Gallicas, prout in Tabulis Geographicis communiter accipi solent; 25. Leucas Gallicas communes; præterea 27. Milliaria Anglica majora, 45. Hybernica, 50. Anglica communia, 60. Italica, & 80. Moscovitica. Dixi autem, tot Milliaria competere uni gradui *Circuli Maximi*, loquendo nimirùm de gradibus Latitudinis in Meridiano versùs Polum, vel de gradibus Longitudinis in ipso Æquatore; nam Circuli Paralleli extra Æquatorem, sicut tantò magìs decrescunt, quantò magìs ab hoc recedunt versùs Polum, ita etiam numerum Milliarium uni gradui competentium decrescere necesse est, uti exhibet Tabula I. & II. in fine Opusculi ponenda.

Si ergò duo loca *sola Latitudine* differunt, adeóque sub eodem sunt Meridiano, sed in diversis Parallelis, Latitudine minori subtractâ

tractâ à majore, habetur differentia Latitudinis in gradibus & minutis; gradibus ergò multiplicatis per 15. & minutis divisis per 4. habetur numerus Milliarium, quibus unus locus distat ab altero. Si Latitudo unius loci est Borealis, alterius verò Australis, summa utriusque Latitudinis dabit distantiam eorundem in gradibus multiplicandis per 15. ut suprà.

Si duo loca *sola Longitudine* differunt, & ambo sunt sub Æquatore, gradus differentiæ denuò multiplicandi erunt per 15. & minuta dividenda per 4. Quòd si sint sub eodem Parallelo extra Æquatorem, sed sub diversis Meridianis, adeóque eandem communem Latitudinem habeant, quæratur in Tabula, quot Milliaria huic communi Latitudini respondeant, & gradus differentiæ Longitudinis utriusque loci per illum numerum Milliarium multiplicentur. In exemplo sit communis utriusque Latitudo 21. gr. differentia verò Longitudinis utriusque sit 9. graduum; quære ergò in Tab. quis numerus Milliarium correspondeat gradui Latitudinis 21. & invenies Milliaria 14. quæ multiplicata per 9. dabunt 126. Milliaria, nim. distantiam utriusque loci dati. Vel dicatur hoc modo: 60. minuta (seu unus gradus Paralleli dati) juxta Tabulam dant 14. Milliaria; dabunt ergò no-




vem gradus distantiæ 126. Milliaria per Regulam Trium.


Denique si hujusmodi duo loca & *Longitudine & Latitudine* differunt, laboriosius quidem est invenire Milliaria distantiæ utriusque, operandum tamen hoc modo. I. Indaganda est differentia Longitudinis & Latitudinis subtrahendo minorem à majori. II. Differentia Latitudinis convertenda est in Milliaria modo suprà dicto, & numerus Milliarium inventus à parte notandus est. III. Quæritur dimidium differentiæ Latitudinis, & additur Latitudini minori, ut eruatur Latitudo utrique loco communis. IV. Quæratur in Tabula, quot Milliaria illi Latitudini communi respondeant. V. Per hunc numerum Milliarium inventorum multiplicetur differentia Longitudinis. VI. Hic numerus productus ex multiplicatione Milliarium, & differentiæ Longitudinis; Item numerus Milliarium, in quem suprà n. 2. differentia Latitudinis fuit conversa, uterque, inquam, iste numerus ducendus est in seipsum, seu quadrandus, & ambo isti numeri quadrati ad se invicem addendi. VII. Ex hoc aggregato denique extrahitur radix quadrata, & dabit locorum distantiam quæsitam. Exemplum, quia longius esset hîc apponere, quisque sibi ipsi formare poterit. Alium modum idipsum inveniendi tam Geome-


metricum, quàm Trigonometricum invenire est apud Ozanam in 2 parte suæ Geographiæ c. 1. Et hic quidem operosior modus adhibendus est, quando soli gradus Longitudinis & Latitudinis locorum noti sunt. In Globo autem vel Mappis sumitur Circino distantia duorum locorum, & applicatur gradibus Latitudinis; intercapedo enim facilè monstrabit numerum Milliarium, computando integrum gradum pro 15. Milliaribus, & 4. minuta pro uno Milliari, ut dictum. Hæc de Mensuris; jam ad Planetas redeamus.

Saturnus est plumbei coloris, nec scintillans, nec nimis splendens, subinde occultatur à Iove. Solem habet pro centro, à quo etiam illuminatur, sicut omnes alij Planetæ. Distat à Terra ex mente Antiquiorum, distantiâ maximâ 12340. semid. Terræ, mediâ 10550. minimâ 8760. eâdem major est 22. vicibus. Diameter ipsius apparens in media à Terra distantia est 1′. 50″. Vera diameter ejusdem continet $2\frac{9}{11}$ Diametros Terræ; Latitudo Orbitæ ejusdem est 3580. Semid. Iuxta RR. Excentricitas ♄. est 7524. Semid. Terræ, cujus duplum dat Latitudinem Orbitæ illius, nim. 15048. Distantia maxima illius à Sole est 138720. media 131196. minima 123672. Distantia ejus à Terra maxima est 152713. me-


Phases
Saturni














dia 131196. minima 109679. Semidiameter ♄.
// ///
apparens in media distantia 10. 30. vera 6. Semid. Terræ cum ⅔ proximè, adeóque major est Terrâ 298. vicibus. Periodum suam in Zodiaco absolvit 29. annis, 161. diebus, 22. hor.
/ //
28. 3. atque adeò 30. circiter annis. Insuper observatæ sunt 5. stellæ, quæ ipsum quasi quidam *Satellites* continuò ac diversissimè ambiunt, eúmque pro diversa eorum ad Saturnum ante-vel postpositione, aut ab eodem separatione, accedente præsertim Saturni atmosphærâ, radios visuales variè refringente, modò triformem, modò enormiter oblongum, & ansatum faciunt, modò rotundum relinquunt, prout ex adjecto schemate liquet. Planeta iste Astrologis audit maleficus, & ideò ab ipsis vocatur *Infortuna major*, frigidus & siccus, adeóque complexione Melancholicus, ac naturæ humanæ inimicus, nisi salubritate Jovis, calore Solis, ac Lunæ humiditate temperaretur.

Huic proximus est *Jupiter*, apparenter paulò minor Venere, & minùs splendens, habens pro centro Solem, singulis annis unum Signum Zodiaci, adeóque annis ferè
/
12. nim. 11. annis, 315. diebus 15. horis 2.

Jupiter cum suis fasciјs.

totum suum cursum absolvit; maxima ejus distantia à Terra est 5416. Semidiam. Terræ, media 3990. & minima 2564. Latitudo Orbitæ ejusdem 2852. Semidiam. Diameter apparens in media distantia est $2\frac{1}{4}$ minut. Vera autem se habet ad Diametrum Terræ, ut 12. ad 5. Terrâ major est 14. vicibus. Juxta RR.es Excentricitas ♃. est 3445. cujus duplum 6890. dat Latitudinem Orbitæ illius. Distantia maxima ejus à Sole 74987. media 71542. minima 68097. Distantia ipsius à Terra maxima est 88980. media 71542. & minima 54104. Semid. ♃. apparens in media distantia est 24. 0. Vera 8. semid. Terræ cum $\frac{3}{5}$. sicque major est Terra 577. vicibus. Quatuor habet *Comites*, qui omnes in Epicyclo moventur, circa Jovem tanquam suum centrum, sed inæqualiter pro majori vel minori ab eo distantia; proximus enim teste Argolo c. 12. dicitur suum circulum complere uno die & 18. circiter horis; 2.dus tribus diebus cum $13\frac{1}{3}$ horis; tertius 7. diebus, & 4. horis; quartus denique 16. diebus cum 18. horis. Omnes illuminantur à Sole, unde quando Jupiter interponitur, eclipsantur, & absconduntur. Cingitur diversis *Fasciis*, seu strijs nigricantibus, nunc paucioribus, nunc pluribus, modò sur-


Figuræ Martis.
A
B
C

sum, modò deorsùm arcuatis, ac modò rectis, ut ex apposita Figura videre est. Sunt autem hæ maculæ in partibus lucis recipiendæ, vel ad nos reflectendæ, minùs capacibus ortæ, quæ, si Axis Jovis ad Æquinoctialem rectus fuerit, & ipsæ erunt rectæ, curvæ verò Axe Jovis in alterutram partem nutante. Est Planeta temperatè humidus & calidus, naturæ humanæ beneficus, & ideò *Fortuna major* appellatus.


Dictis duobus Planetis, quos subinde occultat, inferior est *Mars*, ignei coloris, ac subobscurè rutilans; pro centro habens Solem, Perjodum suam intra biennium ferè,

/ : //

nim. 686. diebus, 22. hor. 19. 49. consummat. In Apogæo distat à Terra 3080. in Perigæo 410. in distantia media 1745. Latitudo Orbitæ illius est 2670. Diameter ejusdem apparens in media distantia est 2. minut. Vera se habet ad Diametrum Terræ, ut 25. ad 60. Mars est minor Terrâ 13. vicibus. Secundùm RR. es Excentricitas ♂ est 1939. semid. Terræ, cujus duplum, scil. 3878. dat Latitudinem Orbitæ. Distantia illius maxima à Sole est 22997. media 20958. & minima 19019. Distat Mars à Terra distantiâ maximâ 36990, mediâ verò 21008. & minimâ 5026. Semidiameter apparens illius in media distan-

tia

// ///
tia eſt 4. o. Vera continetur in Semid.o Terræ $1\frac{1}{2}$ & paulò plus. Unde hac minor eſt Mars 15. vicibus. Subinde in eo apparet macula nigra, ut in A. ſubinde gibbus cum macula, ut in B. ſubinde varia corpuſcula circa extimas ejus partes circumvolitantia, ut in C. Eſt intemperatè calidus & ſiccus, maleficus, indéque *Infortuna minor* dictus.



Sol Planetarum Princeps, ſupra ſe habet tres prædictos, & infra ſe tres ſequentes Planetas; unde & *Medius* vocatur, éſtque Regula motûs reliquarum Stellarum, diſtinguens anni tempora, ac deſignans Solſtitia, & Æquinoctia, uti & inæqualitates dierum. Singulis diebus non omninò unum gradum Zodiaci, totum verò 365. diebus, 5. horis & 48′ 45″. (juxta Tychonem communiter receptum) conficit. Quamvis autem motus habeat in ſe penitùs æquales, ac uniformes, extrinſecùs tamen, & reſpectu noſtri, variæ irregularitates, ſeu Anomaliæ, ejus locum, magnitudinem, ac motum immutant. Sic enim primum ſemicirculum Zodiaci, nimirùm Borealem, percurrit 186. diebus & $18\frac{1}{2}$ horis, Auſtralem verò diebus 178. & $11\frac{1}{2}$ horis, adeóque in Signis Borealibus ratione Apogæi 8. diebus & 7. horis longiùs commoratur, quàm in Auſtralibus. Similiter ſua Apogæa & Perigæa non perficit eodem loco, ſed juxta ordinem Signorum mutat. Diſtantia ejus maxima à Terra eſt 1190. media 1150. minima 1110. adeòque Orbita illius 80. Semid. Diameter illius apparens in media diſtantia eſt 30′. 30″. (cujus notitia ſervire poteſt pro uſu pinnacidiorum, ac

Alti.

Altitudine Solis obſervandâ) Diameter vera continet 5. Diametros Terræ, cum $\frac{14}{75}$ adeóque eſt major Terrâ 140. vicibus. Secundùm Modernos Excentricitas illius eſt $238\frac{1}{4}$. Diſtantia ejus à Tellure maxima 13993. media 13755. minima 13517. Semidiameter Solis apparens in media diſtantia 15'. 55''. Vera 63. ſemid. Terræ cum $\frac{5}{7}$ proximè, quare Sol major eſt Terrâ 258309. vicibus. Paralaxis Solis (ſeu Semidiameter Terræ è Sole viſa) 15''. juxtà dictam Aſtronomiam Carolinam, juxta alios ex Recentiſſimis 12''. 30'''. conſequenter diſtantia Solis à Terra erit 16500. qua ratione etiam reliqui Planetæ proportionaliter magìs elongabuntur. *Maculæ Solis* (quæ probabiliùs ſunt fuligines bituminoſæ, haud plùs diſtantes à Sole, quàm nubes à Terra) ſubinde ſunt pauciores, ſubinde plures obſervatæ à 3. usque ad 30. Incipiunt plerumque apparere in parte Diſci Orientali, & moventur verſùs Occidentalem, donec evaneſcant, in medio quidem tardiùs, quàm in fine. Corpus Solis eſt naturâ ſuâ igneum, & ſaltem ad ſenſum, Sphæricum, quod partim igne liquido inſtar Oceani fluctibus in altum jactatis ebullit, partim ſolidis eminentijs, ſeu montibus ignivomis aſpera-

asperatur, ut ex adjecto schemate colligitur. Est Planeta non solùm luminis & caloris, sed etiam specifica panspermatica virtute præditus, quam circumstantibus ac subjectis rebus communicat; unde rectè à D. Ambrosio dicitur *Oculus Mundi*, *Jucunditas diei*, *Pulchritudo Cæli*, *Mensura temporum*, *Virtus & Vigor omnium Nascentium*, *Dominus Planetarum*; & *perfectio omnium Stellarum*. Ex dictis autem de media distantia Solis à Terra, quæ est Semi-Diameter Circuli Solaris diurni, infertur I. Solem tanta velocitate moveri, ut uno horæ minuto primo majus spatium absolvat, quàm nuntius singulis diebus 10. Milliaria Germanica communia percurrens, quatuordecim mensibus conficeret & hoc quidem in sententia Tychonis omnium ferè Authorum in similibus parcissimi. Si verò Modernos, & præsertim recentissimè in Actis Eruditorum relatos, mediam Solis distantiam 16500. Semid. Terræ astruentes sequamur, Sol quovis die absolvit 89113200. hoc est, octoginta novem milliones, centum & tredecim Millia, ac ducenta Milliaria Germ. communia; intra horam verò 3713050. seu tres milliones, septingenta ac tredecim millia, & quinquaginta milliaria; spacio autem unius minuti primi percurrit 61884. id est, unum supra


sexa-

ſexaginta millia, octingenta & octoginta quatuor milliaria; & quovis minuto ſecundo (quod pulſui arteriæ in homine ſano æquiparatur) 1031. Milliaria Germanica.

Hinc præfatus Curſor quotidie 10. Milliaria percurrens iter Solis diurnum 24414. annis, Horarium 1017. annis, ſpatium Solis unjus minuti primi 16. annis, ac denique ſpatium unjus minuti ſecundi 14. ſeptimanis longè non abſolveret.

Et quoniam juxta communem Aſtronomorum Saturnus decuplo plus diſtat à Terra, quàm Sol, ideò qui dictam curioſitatem ad diſtantiam Saturni à Terra, ejúſque curſum diurnum, Horarium, ac Minutarium applicare volet, ſingulis præfatis poſtis unam cyphram ſeu nullam, quoad Stellas fixas autem duas nullas addere debebit, & habebit intentum. Ex Apogæo autem Solari, quod Sol nunc peragit in Signis Borealibus, infertur 2.dò Solem menſe Decembri in Terris Antipodum, ubi tunc eſt Æſtas ſumma, ratione Perigæi ac ſuæ vicinitatis, majorem Æſtum cauſare, quàm apud nos Æſtate media.

Venus poſt Lunam & Solem (quem tanquam centrum circuit, & ideò modò falcata, modò ſemiplena, modò plena conſpicitur,



Phases Veneris crescentis ac decrescentis.
Vltima Phasis Vespertina.
Terra.

citur, à quo etiam ultra 48. gradus nunquam recedit) omnium lucidissima, ac maxima apparet, quæ quando manè Solem præcedit, *Phosphorus*, seu *Lucifer*, & quando vesperi eundem sequitur, *Hesperus* appellatur. Cursum suum peragit spatiô unius anni, sicut Sol, à quo, teste | Argolo, distat 855. Semid. Distantiam à Terra communem habet cum Sole. Diameter ejus apparens in media distantia est $3\frac{1}{4}$ minut. Vera se habet ad Diamettum Terræ ut 6. ad 11. Venus est minor Terrâ $6\frac{1}{4}$. vicibus.

Juxta R R. Excentricitas illius est $71\frac{1}{3}$. cujus duplum dat Latitudinem Orbitæ $142\frac{2}{3}$. Distantia ipsius maxima à Sole est 10c20. media 9949. minima verò 9878. Distat à Terra distantiâ maximâ 24013. mediâ 13755. minimâ 3497. Semidiameter ejus apparens in media distantia est $10'', 30'''$. vera continetur in Semid. Terræ $1\frac{2}{3}$ circiter, unde minor est Terrâ 3. vicibus. Periodum suam absolvit 224. diebus, 16. hor. $49'. 24''$. Calida est, & humida temperatè, ac benefica, & ideò *Fortuna minor* dicta.

Mercurius pariter pro centro habet Solem, & ideò probabiliter crescit, & decrescit, sicut Venus, à quo etiam non recedit plùs quàm 28. gradibus circiter. A Terra habet eandem cum Sole distantiam. Diameter ejus appa-

apparens in media distantia est $2\frac{1}{8}$ minut. vera ejus Diameter se habet ad Diametrum Terræ ut 3. ad 8. Lucidus est, sed parùm candidus, Terrâ minor 19. vicibus, distátque à Sole, Argolo teste, 582. Semid.




Iuxta Modernos Excentricitas illius est 1096. cujus duplum 2192. dat Latitudinem Orbitæ ejusdem, Distat à Sole distantiâ ma-

ximâ 6420. mediâ 5324. minimâ 4298. Distat Mercurius à Terra distantiâ maximâ 20413. mediâ 13755. minimâ 7097. Semidiameter ejus apparens in media distantia $5''$. $0'''$. vera est $\frac{1}{3}$ Semid. Terræ. Unde minor est Terrâ 27. vicibus. Periodum suam facit 87. diebus, 29. hor. $15'$. $53''$. Motus illius instabilis est, nunc directus, nunc retrogradus, vel etiam stationarius; modò sub Solis radijs absconditur, modò ex ijsdem emergit. Est in motu & figura ferè Veneri similis; quando uterque Planeta est Apogæus, Mercurius stat infra Venerem, si uterque Perigæus, supra eandem. Est ancipitis naturæ, malus cum malis, & cum bonis bonus; ex se verò siccus, ob Solis vicinitatem, ac frequentem combustionem.

Luna omnium Planetarum infima, & ideò I. sola in conicam Terræ umbram incidit. II. ob sui propinquitatem cum Terra & oculo nostro Sidera omnia in conjunctione occultat, quantæcunque sint magnitudinis, ut patet in Eclipsi Solis totali, quæ contingit in Novilunio per directam interpositionem Lunæ inter Solem & Terram. III. ob eandem vicinitatem apparet alijs major, licèt sit plerisque minor. IV. ob eandem rationem

Luna

Luna majorem ac longiorem Sole, aliisque Planetis proijcit umbram in Plano Horizontali. V. in Perigæo distat juxta Argolum



solummodò 51. 57. Semid. in Apogæo 60. in media distantia 56. unde Latitudo Orbitæ ejusdem erit 8. semid. Hinc quando Soli conjungitur, aut opponitur, in maxima distantia, distat à Terra 57. 38. semid. in

quadratura verò 60. 4. minima verò distantia seu Perigæo, si tunc jungitur, vel opponitur Soli, distabit 54. 23. semid. in quadrato autem 51. 57. Semid. Diameter apparens erit circiter 33. minut. Vera Diameter Lunæ continetur in Diametro Terræ ter $\frac{2\frac{1}{2}}{43}$. Prætereà Corpus Lunæ est minus Terrâ 42. vicibus. Duplex illi attribuitur Mensis, unus dicitur *Periodicus* respectu Zodiaci, cujus integram Periodum absolvit spatio 27. dierum, 7. hor. & 43. minutis. Alter mensis vocatur *Synodicus*, computatus ab una conjunctione Lunæ cum Sole ad aliam, quæ contingit intra 29. dies, 12. horis, & 44. min. Cæterùm movetur etiam Luna in latitudinem, deviando ab Ecliptica hinc inde versùs Boream & Austrum 5. gradibus, & 17. min. ad summum. Puncta maximæ Latitudinis dicuntur *Limites* (nimirùm evagationis Lunaris) seu *ventres Draconis*. Puncta verò intersectionis Eclipticæ, ubi nullam Luna habet Latitudinem, vocantur *Nodi*, & ille Nodus, à quo Luna ascendit versùs Signa Borealia, dicitur *Caput Draconis*, & exprimitur hoc signo ☊. Alter verò Nodus, à quo Luna digreditur versùs Signa Australia, dicitur *Cauda Draconis*, & sic notatur. ☋. Causa autem, cur Arabes ita appellârint, est quòd segmenta, quæ evagatio Lunæ ab Ecliptica describit; habeant similitudinem cum ser-

ferpente, cujus *caput & cauda* funt acuminata, *venter* verò latior. Iuxta Neotericos Excentricitas Lunæ eft $4\frac{3}{7}$ cujus duplum $8\frac{2}{7}$ dat Latitudinem Orbitæ. Diftantia Apogæa à Terra eft $64\frac{1}{7}$. Perigæa $55\frac{6}{7}$. media 60. Semid. ejus apparens in media diftantia à Terra, Lunâ exiftente in oppofitione, vel conjunctione, eft $15'.\ 17''$. Semidiameter vera eft paulò plùs quàm $\frac{1}{4}$ Semidiametri Terræ. Diameter Horizontalis apparens Apogæa in Novi-aut Pleni-Lunio $28\frac{2}{3}$. Perigæa $33'$. ficque differentia utriusque eft paulò plùs quàm $4'$. Tellure minor eft Luna $50\frac{7}{11}$ vicibus. Latitudo maxima in Novi-& Pleni-Lunio eft 5°. in quadraturis $5^{\circ}.\ 18'$. Paralaxis maxima $61'.\ 2''$.

Quantum ad Corpus Lunare, denfum eft, craffum, & opacum, nullâ præditum luce, nifi alienâ, Solis maximè; unde quando opponitur Soli, diftans ab eo integro femicirculo, ut fit in Plenilunio, tota ejus facies nobis obverfa apparet illuminata; diftans verò 90. gradibus, feu quadrante Circuli, femiplena; conjuncta autem cum Sole in Novilunio, partem illuminatam à nobis averfam, alteram verò omni lumine deftitutam nobis

obvertit. Ubi more suo pulchrè advertit S. P. Augustinus Tom 2. fol 131. litt. A. *Sicut Luna ad oculos nostros augetur recedendo à Sole, & minuitur ad eum appropinquando; sic anima recedendo à Sole Iustitiæ ad exteriora convertitur, appropinquando verò se convertit ad interiora, in iisque crescere incipit, & à terrenis se quodammodò avertit.* Quòd si ante & post conjunctionem cum Sole, dum corniculata existit, tota ejus corporis rotunditas dealbicans, vel etiam in Eclipsi Lunari (quæ semper contingit in Plenilunio per interpositionem Terræ inter Solem & Lunam) aliqua ejus lux in reliquo corpore appareat, illud non innato ejus lumini, sed radijs solaribus ac siderum, in eo velut speculo reflexis, tribuendum est. Cæterùm constat ex partibus liquidis & solidis, seu ex Terra & Aqua Lunari, quod probare videntur maculæ, quarum quæ minùs illustres in Schemate cernuntur, censentur esse fluidæ, adeóque lumen Solis imbibere, sed minùs reflectere, quàm partes solidæ, & consistentes. Montes verò, & valles, sylvæ & lacus in corpore ipsius apparentes, nec provenire à forma Telluris, in Luna tanquam speculo repræsentatâ, prout Rudolphus II. apud Keplerum speciatim credidit, se in ea videre effigiem Italiæ cum duabus adjacentibus Insulis; nec esse veros montes, valles, aut

aut ſylvas reales, ſimiles noſtratibus, prout adverſùs Marium contendit Helvetius; ac multò minùs inhabitari ab hominibus & animalibus, ut ſomniavit David Fabricius Friſius, ſatis convincitur, tum quòd uno, eodémque tempore in diverſis locis penitùs diverſa videretur, tum quòd absque fictione montium, ſylvarum, ac marium realium ſufficiat, Lunam corpus eſſe inæquale, nec ubique & eodem modo radios ſolares admittere; tum denique, quòd Act. 17. Deus dicatur *feciſſe ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem Terræ*; taceo, quòd Chriſtus, qui tanquam ſecundus Adam pro omnibus hominibus, ex Adam deſcendentibus, mortuus eſt, pro his in Luna exiſtentibus, rediмendis minimè veniſſet; unde nec plantas, nec animalia in uſum hominum unicè ordinata ibidem exiſtere, credendum eſt. Qui plura paradoxa de Luna volet, adeat Oeconomiam Mundi mirabilem Ioannis Zahn tom. 1. ſcrut. 2. ad fin. Denique Luna, quantumvis ex ſe frigida, & humida ſit, communicatis Solis radiis mirè temperatur, & viciſſim Solis æſtum ſuo influxu infringit; unde etiam naſcitur qualitas Lunæ valde nitroſa, ac mirè penetrativa, uti ſentiunt Podagrici, Lunatici, & Hypochondriaci, aliiſque tartareis ac ſalſis humoribus & defluxionibus obnoxij,

D 5 quan-

quantumvis densissimis muris inclusi. Hinc etiam oritur Æstus Marinus, qui circa Novi- & Plenilunium semper major observatur, ut initio statim fol. 18. observavimus. Similiter si radij Lunæ Plenæ artificiosè speculô concavô excipiantur, & in conum coarctentur, mirè frigefacere & humectare (sicut radij Solares taliter excepti exsiccare & calefacere) sentientur; imò aquam inde collectam ad verrucas emolliendas & extrahendas aptissimam dicunt. Videmus eandem sympathiam Lunæ cum varijs affectibus, atque etiam vulneribus corporis humani; & miram vim in prægnantes ac fœtum ipsum, in hepar glirium, oculos felium, in diversa animalia, arbores, plantas, lapides &c. de quibus rara & copiosa exempla invenies in Oeconomia Mundi mirabili cit. scrutin. 2. disquisit. 1. c. 3. §. 3.

Denique juxta Tychonem Stellæ Fixæ (suppositâ saltem mediâ earum à Terra distantiâ 14000. semid.) I. magnitudinis Terrâ communiter majores sunt 68. vicibus circiter; licèt insigniores, uti est Canis major, & Lyra, credat parùm abesse, quin Terræ molem centies excedant. Minores verò Stellæ Terrâ non multò plùs quàm 45. vicibus majores censet. Circumferentia orbis, in quo versantur, est 88000. semid. proximè; unde ipsis

ipsis duobus minutis paulò plùs quam 4. integræ Terræ Diametri competunt.

II. magnitudinis Stellæ Terrâ majores sunt $28\frac{1}{2}$ vicibus.

III. magnitudinis 11. ferè vicibus.

IV. magnitudinis sesquiquater.

V. magnitudinis continent Terram $1\frac{2}{11}$.

VI. magnitudinis sunt Terrâ minores 3. vicibus.

Quamvis autem Tycho aliàs in suis observationibus, quantùm libero oculo licuit, fuerit solertissimus, adinventis tamen perfectioribus Telescopijs, longiùs progressi sunt Neoterici, ita ut Ricciolius distantiam Solis usque ad Fixas proximas mensuret 210000. semid. Terræ, Rheita verò 20000000. & Keplerus 59996640. semid. Ego in re tam ancipiti referam ex Hugenio insigni Astronomo saltem sequentia. I. enim ait, ex mente Copernici Fixas adeò à Terra remotas esse, ut tota Solis Regio, quam cursu suo expatiatur, respectu Firmamenti nonnisi unicum punctum reputari deberet. II. Quanta est distantia proximarum Fixarum à Sole vel Terra, tantam quoque harum esse distantiam à sibi superioribus, & ab his similiter semper progrediendo ad denuò superiores usque ad supremas. III. Nihil obstare, quò minùs rationabiliter credi possit, quamlibet Fixarum Soli magnitudine

sua

sua minimè cedere, quod ex vivacitate luminis ad tam immensam distantiam satis colligitur. Imò IV. ex specialibus fundamentis ac modis instituendarum observationum ingeniosè à se inventis, legitimè inferre contendit, Syrium v. g. 27664. vicibus plùs distare à Terra, quàm ab hac distet Sol; & quia hanc Solis distantiam à Terra aliunde ostendit esse 34377 semid. Terræ, consequens erit, Fixas infimas distare à Terra, 951005328. semid. Terræ seu 817864582080. Milliaribus Germanicis, quæ distantia certè tanta est, ut si globus v. g. à Cane Syrio tanta velocitate ad Terram descenderet, quantâ globus tormento bellico excussus pergere solet (nim. spatiô unius minuti secundi, experientiâ teste, 600. pedes absolvendo) 864477. annis terminum suum vix attingeret. Ex quo ulteriùs consequens est, Fixas Æquatori proximas 24. horarũ spatio emetiri quotidie 5136189575462. Milliaria Germanica, pro quibus (juxta consuetum 10. crucigerorum stipendium nuntijs communiter dari solitum) præfato Cursori solvendi forent. 85603159591o. floreni, id est, octingenta quinquaginta sex millia Millionum ac insuper triginta & unus Milliones, quingenta & nonagintaquinque millia, nongenti ac decem floreni. De quibus licèt nullam certitudinem habeant Astronomi, cùm Deus in his vel maximè mun-


dum

dum tradiderit disputationi eorum Eccle. 3. sufficit tamen, magnitudinem Cælorum ac Siderum esse tantam, ut nullâ hominum arte debitè mensurari, nec cogitatione satìs comprehendi possit; unde sit à nobis omnibus Divinæ Sapientiæ, Omnipotentiæ, ac Immensitati, cui suam suorúmque Electorum Regiam usque adeò exornare placuit, honor, virtus & gloria in sæcula.


Restat nunc, ut de Mundi Systematibus breviter dicamus. Est autem *Systema Mundi* certa dispositio, seu coordinatio præcipuarum Mundi partium, ut Elementorum, Siderum, ac Cælorum, quoad ordinem & situm eorum tam inter se, quàm respectu Centri universi.

Ex varijs Systematibus, quæ diversi Astronomi ad explicanda Siderum Phenomena excogitârunt, & indies ferè nova pro suo quisque genio excogitant, quæ proinde ibidem à curiosioribus videri poterunt, hîc pro aliquali informatione non nisi tria notiora in medium afferimus. Primum est *Ptolemaicum*, in quo Terraqua immota ponitur in Centro Mundi, & circa hanc Elementa, & octo Cæli, nimirùm Cælum Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni, & Stellarum Fixarum. Tribuitur Ptolemæo, Pythagoræ, Archimedi, Chaldæis, & plurimis

Systema Ptolemaicum



Coperni- -canum.




rimis alijs usque ad Maginum & Clavium, quod tamen de facto, utpote incremento & decremento Veneris & Lunæ, aliísque Phenomenis declarandis, nisi aliter explicetur, insufficiens, à plerisque non admittitur.

Secundum Systema dicitur *Copernicanum* à suo principali Authore, vel saltem Restauratore Nicolao Copernico Borusso, sui sæculi Astronomo præstantissimo, posteà Canonico Warmiensi, illud multis argumentis, ac ingeniosis hypothesibus corroborante, quem omnes ferè Acatholici, & multi Novitatum amatores Catholici (saltem Systema illius ut hypothesin, ad calculationes & Tabulas Astronomicas perfectiùs & faciliùs instruendas singulariter utilem accipiendo) sequuntur. Ponit is Solem immobilem in Centro Mundi, saltem quoad motum translationis; & circa eum proximè Mercurium diebus 80. revolutionem suam absolventem; deinde Venerem novimestri revolutione; posteà Tellurem cum tota Sphæra Elementari eo in orbe, in quo alij collocant Solem cum annua sua revolutione ac motu diurno circa suum Centrum ab Occidente in Orientem: Luna verò circuit Terram revolutione menstrua; Mars autem circa Solem revolutionem bimam peragit, deinde Iupiter duodennem, ac tandem Saturnus tricennem. Sphæra item Stellarum Fixarum

pror-


prorsùs immobilis est, & adeò vastô intervallô à Saturni Sphæra distans, ut Terræ orbis annuus sit puncti instar ad illam. Quamquam autem multi ab hac ejus sententia, utpote communi sensui, & præsertim Scripturæ Sacræ, Terræ quietem, Soli autem & Astris motum passim tribuenti, saltem in sensu reali ac literali loquendo, minùs conformi abhorreant; est tamen, si ut pura hypothesis accipiatur, omni curiosæ ac utilis inventionis laude digna.

Tertium Systema commmuniter, olim saltem receptum, est *Tychonis Brahe*, hujus ac præteriti sæculi nobilis Astronomi, ubi Terram cum Elementis collocat in medio Mundi immobilem, circa quam tanquam Centrum gyratur primò Luna, deinde Sol, ac demùm Sphæra Fixarum, reliquorum verò 5. Planetarum Centrum est ipse Sol, ut patet ex Systemate Tychonico. Et Mars quidem ita Solem ambit, ut in oppositione cum Sole perigæus factus, infra Solem descendat, ejúsque orbem profundè intersecet, Terræque propior fiat, quàm ipse Sol. Idem Systema etiam Longomontanus (addito tamen motu Terræ diurno circa suum centrum ab Occidente in Orientem) Scheinerus, Blancanus, aliíque passim tanquam verius, ac S. Scripturæ,



tæ, communique sensui magis accommodatum amplectuntur.

Post Planetas etiam de Cometis dicendum breviter. *Cometa*, ut ait Ricciolius, *est splendidum ænigma à Deo propositum, nunquam ab humanis ingeniis solvendum.* Licèt diversissimis formis appareant, ad 3. tamen species reduci solent, ita ut unus dicatur *Barbatus*, qui ra-


Cometarum Apparentiæ et Vmbræ
I
L
G
C
F
B

dios suos antrorsùm porrigit, eò nempe, quò iter instituit; alter *Caudatus*, qui radios post se trahit; ac tertius *Crinitus*, qui jubare radioso, quasi crinibus undique cingitur. Quoad originem Cometarum, quot sunt capita, tot sunt sententiæ. Illud satìs certum est, quosdam esse sub-alios superlunares, ut patet ex Paralaxi, quam aliqui habuerunt majorem Lunâ, & ex eo, quòd aliqui ab una solùm Urbe vel Regione visi sint, ut ille Hierosolymis ante excidium; imò ille A. 1450. dicitur Lunam eclipsâsse, & consequenter fuit eâdem inferior. Hinc probabile videtur, Cometas fieri ex halitibus ac fumositatibus, quas sublunaribus Terra, superlunaribus verò sidera subministrant, Sol præsertim, qui, teste Hevelio, uno anno tantam exhalationum copiam evomere potest, ut ad 130. tales Cometas, qualis A. 1664. luxit, vel ad 9. Disco Terreno æquales efformandos sufficere possit, ut exhalationes aliorum Planetarum taceamus; undè mirum videri minimè debet, si uno anno plures generentur Cometæ, sed potiùs, quòd tam pauci prodeant; volunt tamen, plures Cometas (quales in Eclipsibus Solis totalibus circa ipsum observati sunt) in cælo existere, quàm à nobis ob eorum distantiam vel exilitatem videantur; ubi Scheinerus insuper dicit, se constanter observâsse,

 So-

Sole ſine maculis apparente, ordinariè natum eſſe Cometam. Fumoſitatibus ergò hujusmodi magnâ copiâ in unum globum, vel plures nucleos globum conſtituentes congregatis, globus accenſus exhibet Cometam, ac proprijs exhalationibus fortè unctuoſis (ſicut flamma lucernæ vel candelæ oleô aut cerâ) longo tempore nutritur; communiter tamen ultra 80. dies haud durant, & unicus ille A. Chriſti 375. octimeſtris fuiſſe dicitur. Quòd autem ille ante excidium Hieroſolymitanum integro anno, ille verò Magis ante Chriſti adventum apparens duobus annis arſiſſe dicatur, ſtellis extraordinarijs ac miraculoſis annumerari debent.

Caput Cometæ ordinariè ex diverſiſſimis nucleis dilucidiore materiâ poris interſitâ conſtat, ut radijs ſolaribus facilior tranſitus pateat: ſubinde etiam aliquid ſtellulis conglobatis ſimile, inſtar ſpiritûs vini accenſi lucentibus, obſervatum eſt. Imò A. 1618. deprehenſum, Caput Cometæ inſtar ingentis foci, 3. vel 4. prunas ardentes in fruſta diſſilientes exhibentis apparuiſſe. Caput Cometæ non eſt figuræ rotundæ, ſed ſcabroſæ, irregularis, ac diſceæ ſeu planiformis; unde eos nec motum circularem, nec rectilineum ſortiri, diſcum tamen ſemper Soli normaliter obvertere, ait Hevelius. Nec eſt ejus-

dem

dem semper coloris, luminis ac formæ, sed certis diebus amœniùs ac lucidiùs apparet, Lunâ verò præsente notabiliter obscuratur.

Caudam Cometæ ordinariè à Sole aversam protendunt, nisi radij solares, quod sæpiùs fieri solet, ob inæqualitatem nucleorum caput Cometæ constituentium, in illud incidentes refringantur, unde Barbatos Sole sublimiores, Caudatos verò magìs eidem laterales esse necesse est. Sic, si Cometa v. g. supra Solem B. existat in G. cauda ejus multùm elevabitur in L. sub satìs magno angulo visuali G A L. sub minore, si existat in I. si verò sit infra Solem in C. major apparebit, ac denique in oppositione Solis existens in F. ex A. absque omni cauda hirsutus videbitur, uti pluribus figura monstrabit.

Motus Cometarum juxta Hevelium est triplex: Primus omnibus sideribus communis ab Oriente in Occidentem; Secundus apparens, quem cursu retrogrado (saltem propter retardationem taliter concepto) penitùs inæquali perficiunt; Tertius est proprius, & cuivis Cometæ à natura indicus, secundùm quem nunquam fiunt stationarij aut retrogradi, sed semper in directum, aliqui quidem in Ortum, alij in Occasum, pauci in Meridiem, plurimi Aquilonem versùs,

progredi solent. Nunquam sunt tardiores Saturnô, nec Mercuriô velociores, ac distantias suas à Terra indies variant. Quando decrescunt, materia illorum magìs magísque disgregari incipit, ipsi verò caudam retortam sortiri ac pallescere solent, donec omninò diffluant ac evanescant.

Quoad *significationem Cometarum* omninò tenendum est, eos esse signa ominosa, & extraordinaria naturæ prodigia ac portenta, prænuntiósque insolitorum eventuum, à potiori in se infaustorum, ut famis, pestis, Terræ motuum, belli, mortis Principum &c. licèt per accidens alijs fuerint fausti, ut patet experientiâ, si vel solum illum Cometam prægrandis ac lucidissimæ caudæ, nimirùm 63. gradus longæ A. 1680. die 26. Decembris communi Spectatores suos Terrore concutientem consideremus, cujus deplorandi effectus hodiedum perdurare videntur; conformiter Scripturæ sacræ Luc. 21. v. 11. *Terrores de cœlo, & signa magna*; item Ioëlis 2. v. 30. *Prodigia in Cœlo, & in Terra sanguinem &c.* adstruenti. Et certè ipso naturæ instinctu omnes in Terra Populi, quantumvis barbari, & cujuscunque fidei vel statûs, visis Cometîs terrentur, eósque apprehendunt ut signa ac prodromos imminentium calamitatum.

Ca-

CAPUT III.

De Centro Mundi, Axe, & Polis.

CEntrum est Punctum medium, seu infimum Universi, è quo, sicut à divina omnipotentia tota Mundi machina evoluta est, ita omnia (sic ordinante divinâ sapientiâ) ad idem tendunt, & collimant; unde Terra, tanquam hominis habitaculum, meritò in hoc mundi Centro collocata est, ut scilicet, sicut in gratiam hominis Cæli & omnia reliqua mundi corpora creata sunt, ita hæc in Tellurem, seu in principium passivum, ac veluti naturæ gremium, vires suas ac seminales virtutes effunderent, quibus ut fertilissima hæc Mater tantò commodiùs impraegnaretur, in quiete eam constituit Deus; sicque longè convenientius erat, cætera in obsequium ipsius creata circa eam in quiete sua relictam moveri, quàm ut ipsa, reliquis quiescentibus continuò moveretur. Certum ergò esse debet, Centrum terræ esse Centrum omnium gravium, quò nimirùm omnia gravia saltem sublunaria naturali nisu tendunt, & quidem, nisi impediantur, semper viâ brevissimâ, hoc est, per lineam rectam: & licèt Centrum gravitatis terræ à centro magnitudinis ejusdem diversum sit, imò accessione novi pon-

deris v. g. integri exercitûs, vel Classis nauticæ, continuò mutetur, tamen Centro mundi probabiliùs invariabiliter congruit, nec necessariò sequitur *Motus*, ut vocant, *Trepidationis;* tum quòd pondus hujusmodi adventitium respectu totius Terraquæ sit inæstimabile, ac impotens illam deturbare è sua possessione quieta; tum quia Ps. 92. dicitur. Deus *ita firmâsse orbem Terræ, ut in æternum non* (ne dicam continuò) *commoveatur.*

Quantum ad terræ motus attinet, qui probabiliùs ex Aëre variorum spirituum, ac materiæ combustibilis copiâ turgido, intra terræ viscera concluso, ac tandem incalescente aut rarefacto, vel vi ignis subterranei, aut quavis aliâ causâ accenso, ortum habent, qui instar pulveris tormentarij cuniculis inclusi, majus quærendo spatium, Terram quatit, effringit, & quamcunque insistentem molem disjicere conatur &c. quod in locis thermarum, nitri item ac sulphuris copiâ scatentibus (uti sunt plerumque Insulæ) atque etiam maritimis, montosis, & cavernosis frequentiùs accidere solet; dicendum est, hujusmodi terræ motus vel esse solùm partiales, ac superficiales, vel, si teste Didymo, terræmotus in morte Christi fuit universalis, præter legem ordinariam Divinâ virtute, ac ipso Inferno infremescente ejusmodi concussionem

causa-

causatam esse; quemadmodùm etiam Eclipsis illa tempore Christi morientis (exclamante Dionysio Areopagitâ: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur*) citra omnem naturæ legem contigit, utpote in Plenilunio, ubi Luna de jure integro semicirculo à Sole remota, mutato ordinario suo cursu ab Oriente in Occidentem retrogrediebatur (oculato teste eodem Sancto Dionysio in Epist. ad Polycarpum, quem etiam allegat S. Thomas in sua Catena aurea in cap. 27. Matthæi) & cùm illi jam directè opponeretur, in hoc statu per tres horas immota quievit; & quod plus est, ita retrogrediendo præter communem ordinem, partem Disci solaris orientalem priùs eclipsavit, quàm occidentalem, ac tum denuò suum cursum prosequendo versùs Orientem, partem Solis, quam ultimò occupavit, priùs reliquit.


Quamvis autem Terræ moles satìs notabilis sit, ut suprà fol. 32. vidimus, respectu tamen totius Cæli, vel etiam Firmamenti merissimum punctum reputatur. Ad Centrum redeundo, de hoc sequentia notanda veniunt. I. *Centrum Magnitudinis* esse Punctum medium cujuslibet figuræ, per quod figura bissecatur; quemadmodùm etiam *Centrum Gravitatis* est ejusdem Gravis medium, per quod bissectum utrinque æquiponderat. Licèt enim corpus gra-

ve ſecundùm aliquam ſui partem v. g. extremam, Centrum contingeret, quia tamen partes graviores ſuperinſiſtentes illam comprimunt, neceſſarium eſt, illam partem extremam à Centro in partem oppoſitam tamdiu cedere, donec totidem partes æquiponderantes ſecum attulerit, quot ex hac parte ſuperiore manent; unde ſine hoc Centro gravitatis in rebus exiſtente, nullus daretur niſus ad Centrum Univerſi, abſque hoc niſu verò nullus ſequeretur motus, ſine motu autem omnia torpeſcere, imò in chaos ſuum reverti neceſſe foret.

II. Notandum, in figuris homogeneis Centrum gravitatis ſemper coincidere cùm Centro magnitudinis: quomodò autem illud in omni genere figurarum & corporum inveniendum ſit, clarè demonſtrat Kircherus in ſuo Mundo ſubterraneo tom. 1. lib. 1. c. 1. ex quo inſuper.


III. Notandum circa corpora ex partibus heterogeneis conflata, v. g. Sphæram vel globum plumbeum; vel enim ſegmenta A. B. utrinquè ex cera aut ligno e. g. in modum Sphæræ agglutinata ſunt æquiponderantia, & ſic ſervabunt idem commune Centrum magnitudinis & gravitatis; vel ſi ſolummodò ex una parte adderetur ſegmentum hetero-

rogene-



rogeneum v.g. A. Centrum gravitatis tantò magis recederet versùs partē graviorem, quò levius esset segmentum appositū, vel vicissim. Linea ergò recta, per quam, ceu viam brevissimàm, grave tendit ad Centrum, dicitur *Linea Directionis*, eò quòd sit directiva motûs gravium, utpote qui secundùm ipsam regulariter fieri debet, nisi per accidens impediatur, & concipitur ducta à Centro Mundi per Centrum corporis gravis. Omnes autem Lineæ Directionis in superficie terræ considerateæ (licèt continuatæ in Centro concurrerent) ad sensum tamen sine omni erroris periculo, censentur esse parallelæ, ut patet in Gnomonibus sciotericis, & ex praxi Architectorum, nullo habito ad centrum respectu, muros passim ad amussim disponentium.

Hinc autem infertur I. Motum progressivum hominis necessariò fieri secundùm Lineam



neam Directionis, ut patet in situ A. B. D. quia per hanc viam tenderet descendendo ad Centrum, & propriè æquilibratur, ac dirigitur ad operationes suas commodiùs exercendas. Si neges; ponamus illum à Linea Directionis E C. deviare in H. ubi patet, illum ita inclinare, ut esset casui proximus; ergò ut erectus stet, debet secundùm Lineam Directi-

directi-

rectionis erigi ex C. in I. Item ponamus in superficie Terræ construi pontem rectà protensum F B G. ubi denuò manifestum est, hominem per eum incedendo ex F. versùs B. quasi in præceps tendere per vallem, in B. verò secundùm Lineam Directionis denuò erectum stare, & pergendo versùs G. quasi sublimem montem conscendere.

Infertur II. Naturæ sagacitati tribuendum, quòd quadrupedes duobus pedibus diagonaliter oppositis elatis progrediantur, reliquis verò duobus plano insistant; quia pedibus ejusdem lateris simul sublatis, Linea Directionis Centro gravitatis dicti animalis non ampliùs congrueret, sed latus elevatum præponderaret alteri, & sic animal necessariò caderet. Idem est de volucribus, quæ inclinando se, ut cibum capiant in terra, pedes antrorsùm ita inflectunt, ut totum Corpus æquilibretur; si verò volant, duabus alis quasi fulcris in æquilibrio sustinentur, ne una pars alteri præponderet. Ob eandem causam videmus aves longioris colli etiam longiora crura habere, & ideò ad procurandum dictum æquilibrium, inter volandum collum antrorsùm, crura verò retrorsùm extendere, & dum sursùm volant, alas quoque seu fulcra in anteriorem partem protendere, si verò deorsùm, in posteriorem partem retrahere.

Sicut

Sicut autem gravia naturali nisu deorsùm, ita levia sub eâdem Lineæ centralis Directione sursùm tendunt; unde etiam vegetabilia sub ista Directionis Linea crescere, & in mundo subterraneo omnes mineralis naturæ operationes vel ad Centrum deorsùm, vel à Centro sursùm dirigi debere, pluribus ostendit Kircherus cit. lib. 1. c. 2. Ex quo obiter ulteriùs

Infertur III. in plano declivi v. g. colle, monte &c. non plures arbores crescere, aut domos construi posse, quàm in plano Horizontali, cui mons insistit, licet superficies dicti plani sit longissimè minor, quàm superficies montis; cùm enim arbores crescant, & ædificia exurgant secundùm lineam directionis, & ad amussim, evidens est, nec plures arbores, nec plures domos consistere posse in superficie montis, quàm in radice.

Infertur IV. Si divinâ potentiâ pons cujuscunque figuræ regularis v. g. Circularis, Ellipticæ, Quadratæ, Triangularis &c. circa Centrum mundi, vel etiam circa superficiem Terræ construeretur, congruente centro gravitatis ejusdem cum centro mundi, eum absque fulcro liberè in aëre hæsiturum, utpote æquiponderatum, & ex omni parte æquè gravitantem. Interim nulla fabrica usui hominis apta foret, nisi circularis, quia

in omni alia figura non, nisi in tribus vel quatuor punctis erectus stare posset, uti cogitanti facilè patebit ex dictis in Inferendo I.

Infertur V. in Centro neminem pedibus insistere posse, sed necessariò circa medium corporis ibi hæsiturum, adeóque fore, ut uno, eodémque tempore utrâque corporis medietate, nimirùm capite & pedibus sursùm tenderet; sicut etiam si duo scalam per Centrum mundi transeuntem in oppositas partes conscenderent, ambo ascenderent.

Infertur VI. Si homo divinâ potentiâ ita in Centro Terræ collocaretur, ut os ejus Centri medio congrueret, eum tali situ nec comedere, nec bibere posse, cùm enim totum reliquum corpus inversum esset, ac sursùm respiceret, nihil cibi aut potûs trajicere posset in ventriculum, donec os ejus à Centro esset remotius.

Infertur VII. Ignem, aquam, arenam, & omnia liquida in Centro mox in sphæram esse conformanda, imò si semen alicujus plantæ projiceretur in centrum Terræ, eam quaquàversùs in formam radiosæ stellæ efflorescere, uti ex natura Centri cuivis facilè patebit.

Infertur VIII. Superficiem aquæ consistentis semper esse sphæricam, in exiguis tamen

men vasis censendam esse Horizonti parallelam. Hinc autem ulteriùs


Infertur IX. Aquam connaturaliter, & seclusâ virtute pressivâ, nunquam ascendere ad locum altiorem suâ origine; ex quo denuò

Infertur X. Si scire cupias, an aqua ex monte v. g. proximo absque speciali machina per canalem dirigi possit ad locum desideratum, statue ibi vas vitreum quocunque humore repletum, & secundùm lineam superficialem liquoris in vase stagnantis respice ad locum originis aquæ, & siquidem iste conspiciatur esse altior dictâ lineâ superficiali, evidens erit posse aquam inde dirigi ad locum vasis consistentis; si autem inferior appareat, non posse.

Restat, ut etiam de *Pendulis*, motu naturali Centrum petentibus, ac vi impulsûs ab eodem tam diu iterùm recedentibus, donec oscillationibus continuò decrescentibus, tandem in Linea directionis quiescant, eorúmque naturâ ac utilitate breviter dicamus. De his itaque

Notandum I. *Pendulum* seu *Perpendiculum* ex E. non currere usque in ultimum semicirculi punctum O. sed solùm in N. quia non esset ratio, cur ex O. non recurreret in E. & sic motus Penduli esset perpetuus.

No-



Notandum II. omnes oſcillationes, ſeu excurſus & recurſus Penduli, ſive majores, ſive minores, æquali tempore perfici; & hinc Pendulum ex E. decurrens in N. pari temporis intervallo recurrit in F. & hinc in M. & ex M. in G. &c. donec tandem quieſcat in Linea directionis AB. Quod enim in arcu majori ex E. in N. velocitate motûs acquirit, hoc in minore ex N. in F. ſuo decremento deperdit; patet enim experientiâ, Pendulum intra quadrantem v.g. æquales numerô oſcillationes perficere, ſive major, ſive minor illi imprimatur impulſus.

Notandum III. Pendula longiora tardiùs ſuos arcus perficere, quàm breviora, æqualia verò æqualiter; quia longiora deſcribunt circulum majorem, adeóque majus etiam inſumunt tempus, uti denuò conſtat experien-

tiâ; ſic enim Perpendicula in Horologijs Anglicanis longiora tardiùs oſcillationes ſuas faciunt, quàm breviora Horologiorũ noſtratûm.

Ut autem etiam utilitates Pendulorum breviter inſinuemus, ſerviunt ea

I. *Ad regulandos motus Horologiorum*, uti à quotidianâ habemus experientiâ.

II. Servit etiam Architectis, muros ſuos, & ædificia ad amuſſim ordinantibus.

III. *In Aſtronomia* ad perfectè menſurandum tempus ac Siderum motus; ſi enim ab experientia habeo, Pendulum aliquod intra quadrantem v. g. 1200. oſcillationes facere, facilè erit judicare, illud peractis 4800. oſcillationibus integram horam inſumpſiſſe: prout etiam Merſennus obſervavit, Pendulum $3\frac{1}{2}$ pedum curſu, recurſúque ſuo tempus unius minuti ſecundi præciſè explere.

IV. *In arte Medica*: Nam una vibratio Penduli 5. digitorum & paulò plùs, exactiori pulſui arteriæ, teſte Joanne Marco Marci celebri Medico, perfectè reſpondet; imò haud difficile erit, parvulam machinam conſtruere, mediante quâ Perpendiculum, filum remittendo, prolongari, vel attrahendo, abbreviari, & ubi pulſui infirmi ſuâ vibratione congruere compertum fuerit, firmari queat, hâc enim ratione, alterâ v. g. die major celeri-

leritas aut tarditas pulsûs ad oculum patebit.

V. Voluerunt nonnulli ex Modernis, usum Penduli servire etiam posse *in Geographia*, ad locorum longitudines investigandas, si ab experientia v. g scio, illud intra horam mille vibrationes conficere, & in puncto discessûs navis versùs Orientem, vel Occidentem (notatâ horâ discessûs) numerare incipiam, & inveniam vibrationes 2000. vel 3000. &c. colligere facilè possum, navim à portu jam duabus vel tribus horis abesse. Sed quia praxis hæc supponit, navim semper æqualiter, & quidem viâ rectâ versùs Orientem moveri, inconstanti valdè nititur fundamento, & ipse motus, vel impulsus navis, si non sistere, saltem aliqualiter impedire poterit curso-recursum Penduli, eritque negotium hoc ob clamores ac tumultus nautarum continuos summè tædiosum, ac innumeris erroribus obnoxium.

VI. Feliciorem autem usum habet Pendulum *in Geometria* in ordine ad altitudines rerum per illud metiendas. Sit v. g. chorda, cui lampas alligata per tholum deducatur in inferiorem templi partem, & desideret quispiam scire altitudinem tholi à Terra. Instructum priùs habeas oportet filum unius pedis cum plumbo; quo comparato sic operare.

Nota, quot vibrationes chorda unius pedis faciat, dum altera longior agitata unam vibrationem facit,& invenio v. g. minorem chordam unius pedis octies currere ac recurrere, dum longior semel currit, & recurrit. Octo itaque vibrationes in se duces, id est, quadrabis, & habebis 64. altitudinem tholi usque ad lampadem, quibus si addas altitudinem à termino chordæ usque ad pavimentum, habebis totam altitudinem tholi à Terra. Ex quo facile etiam erit divinare, quot vibrationes faciat chorda pedalis, usquedum chorda 36. v. g. pedum unam faciat; si enim ex hoc numero extrahas radicem quadratam, invenies 6. vibrationes.

VII. Potest Perpendiculum etiam habere *usum Steganographicum* in ordine ad occultè alteri loquendum. Ponamus enim duos amicos æqualibus perpendiculis instructos, conficere sibi clavim ex certis numeris, ita ut v. g. 10. vibrationes significent hostium adventum, 20. liberationem è carcere, 30. proditionem futuram &c. Si ergò unus sit v. g. arci, turri aut carceri inclusus, alter verò in sua arce vel domo, ita tamen, ut ad se invicem per fenestram prospicere possint, & unus alteri loqui desideret, strophiolô vel alio quovis modo signum det oportet, cui etiam alter, si advertetit, respondebit,

ut

ut appareat illum esse attentum; tum ambo agitabunt sua Perpendicula, & numerabunt vibrationes, absolutô verò numerô mysterij revelandi, loquens denuò det signum, ut alter sciat, numerum esse completum. Eâdem etiam ratione alter poterit respondere &c. sed praxis dabit plura.

Denique cùm motus chordarum in Instrumentis musicis eâdem prorsùs ratione se habeat, quâ Pendulorum motus, patet, illum etiam *in Musica* locum habere, imò totius artificij musici basin ac fundamentum esse, prout duobus tomis benè magnis explicat Kircherus in sua Musurgia, quò proinde plura scire volentem remitto. Et hæc de Centro Mundi, ac Lineæ centralis directione dicta sufficiant. Nunc de Axe mundi agendum.

Axis nomine intelligitur Linea recta, per Centrum Terræ ab uno mundi Cardine, seu Polo ad alterum imaginariè ducta, totius mundi Diameter, circa quam universa Cælorum Machina rotatur. Qua in re juxta hodiernam Lynceorum observationem ex mundo subterraneo Kircheri tom. 1. lib. 2. c. 17 sciendem est, divinam providentiam omnia Corpora cælestia ita Telluri adaptâsse, ut sicut hæc Axi & Polis mundi immobiliter congruit, ita Poli & Axis omnium Corpo-

rum cœlestium circa Terram gyrantium hujus Axi & Polis perfectè semper responderent, situmque suum ex Austro in Septentrionem sibi à natura inditum, juxta situm Terræ ac Mundi inviolabiliter servarent. Notatum enim est, teste Kirchero, conformiter ijs, quæ in suo Itinere Extatico hac de re fusè pertractat, Planetas ac Stellas omnes Terræ ita conformari, ut quos Circulos & Polos in Terreno globo nobis imaginamur, eosdem in omnibus & singulis Siderum globis expressos intelligamus, hoc solo discrimine, quòd in Terra immobili immobiles, in Sideribus verò circa proprium Centrum agitatis mobiles comperiantur, prout universa Mundanorum Corporum symmetria, motuum eorundem analogia, ac sese mutuò fovendi necessitas postulabat, ut sic Terra immobilis Solis ac reliquarum Stellarum influxu æqualiter gaudeat; quod enim in Zona Torrida perpetuum eidem æquinoctium tribuit, hoc in Zona Temperata inæqualitas dierum & noctium, ac perpetua anni temporum vicissitudo, imò in ipsâ etiam Zonâ Frigidâ seu Suppolari semiannua Solis suprà Horizontem præsentia, & æqualis subtùs eundem absentia compensat. Dum econtrà si Terræ ac Stellis libera esset evagandi, séque pro lubitu fixuandi facultas, modò amicis, modò contra-

trarijs Polis, modò transversis Axibus se invicem respicerent, sícque necessariò communis rerum confusio & exitium sequeretur. Hinc tam Terræ (vi suæ gravitatis in Centro firmatæ) quàm cæterorum Siderum corporibus, ad adimendam hanc exitialem evagandi libertatem, commune frænum ac unanimis, inditum sibi situm ex Austro in Boream servandi necessitas imponi debebat, quam vim directivam Noto-Boream, virtutem Magneticam, Terræ ac omnibus globis Cælestibus communem esse contendimus. Exinde autem ansam sumimus, de stupendâ illâ omnibus quidem passim notâ sed nulli satis perspectâ *Magnetis virtute*, ejúsque ad Polos mundi conversione breviter disserendi.

Color illius ordinariè est ferè similis ferro; quod non solùm attrahit, sed & attractum tam fortiter retinet, ut Schottus part. 4. suæ Magiæ naturalis lib. 3. c. 1. referat, P. Carolum du Lieu ex eadem Societate Lugduni Magnetem habuisse armatum 5. librarum, qui ferrum secundùm longitudinem sibi è longinquo applicatum tantâ vi ad se rapuit, ut duo vel tres viri vix illud retinere, semel autem ipsi agglutinatum decem aut plures haud ampliùs (saltem perpendiculariter) abstrahere valuerint, ita ut indubiè virum etiam cataphractum ferro appensum tenuisset. Præte-

reà non solùm ferrum trahit (etiam interpositô lignô, lapide, argentô, librô benè magnô &c interpositô autem ferrô nullus sequitur effectus, quia virtus illius dissipatur) sed illi per attactum, aut valde propinquam applicationem, insuper comunicat virtutem trahendi aliud ferrum, ita ut unus annulus v. g. trahat alium, iste denuò tertium, quartum, quintum &c catenæ instar, plures vel pauciores pro diversitate virtutis ejusdem; *unde quis istam vim lapidis non obstupesceret*, exclamat S. P. Augustinus lib. 21. de Civit. c. 4. ubi etiam ait, legisse se, *quòd quando juxta Magnetem ponitur adamas, non rapiat ferrum, vel raptum dimittat*. Illud saltem experientiâ constat, quòd Magnes, cui agglutinatum est ferrum, si illi applicetur alius, præsertim fortior, illud ocyùs dimittat, cùm alter Magnes illi adhuc sit magìs amicus, quàm ferrum. Trahit etiam alterum Magnetem, si conjungantur Poli amici (hoc est, Meridionalis cum Septentrionali) secùs verò repellit, ut apparet in lingulis magneticis, quæ, si illis obvertatur Polus amicus, accurrunt, secùs verò fugiunt. Magnes major non armatus, raiò sustinet pondus majus, quàm ipsemet habeat, dum econtrà parvus subinde 18. vicibus majus pondus levet seipso. Interim major in instanti adimit minori vires su-

as,


as, quas tamen intrà biduum vel triduum denuò recuperat.

De ista virtute attractiva adhuc observo I. eam conservari, relinquendo ei liberam facultatem se situandi ad Polos mundi, absque hoc enim situ ponitur in statu violento, qui cujusvis rei tandem est destructivus. II. Si prædicto situ connaturali servato in limatura ferrea, aut chalybea ponatur, quia ejusmodi ramenta vires ab eo acceptas in ipsum denuò reflectunt, ac radios in ipsum amicos evibrant. III. Si panno rubro involvatur, ac in dicto situ connaturali collocetur; quia nimirùm herbæ, ex quibus tingi solet, supra mineras ferreas crescunt, & ab his amicas qualitates, tanquam gratum Magnetis pabulum hauriunt. Econtrà IV. compertum est, calorem & ignem esse virtutis magneticæ dissipativum ac inimicum. V. Si lingula magnetica incurvetur, vel incurvata denuò rectificetur, adeóque situm mutet, virtutem perdit. VI. validissimos Magnetes in Europa asportari potissimùm ex Norwegia. Denique Virtus tractiva Magnetis incredibiliter augetur, accedente suâ armaturâ ferreâ, aut chalybeâ, de qua posteà.

Quantùm *ad Directionem Magnetis*, si frusto ligneo v. g. suberis in formam globi aut navis efformato Magnes imponatur, &

in aqua quiescente in pelvi liberè natare permittatur, hinc inde fluctuare videbitur, donec unâ sui parte Austrum, alterâ Boream respiciat. Hinc autem infertur I. in quovis Magnete, & in omni ejus frusto, duo dari puncta seu Polos, quorum unus dicitur Borealis, qui Boream, alter Australis, qui Austrum respicit. II. Magnes in formam Sphæræ elaboratus vocatur *Terrella* ob similitudinem cum globo Terreo quoad formam ac proprietates magneticas; unde lineam, quæ dictos Polos connectit, appellant Axem Magnetis, circulum verò ab utroque Polo æquidistantem vocant Æquatorem, ac circulos per Polos & Centrum ductos, ejusdem Meridianos. III. Hanc virtutem directivam Magnes communicat etiam ferro, ut patet in lingulis magneticis. IV. Dicunt, si Magnes secundùm Axim à Polo ad Polum perforetur, & stylus longus ex optimo chalybe ei indatur, stylum hunc decuplô efficaciùs trahere ferrum, quàm cum armatura communi; ego tamen parcerem Magneti bono, si quem haberem, ob praxin incertam. V. Quod refert Plinius de Æthiopico lapide Theamede ferrum à se repellente, fabulosum est, si de ferro nulla virtute Magneticâ imbuto loquatur; secùs

autem verum quidem eſt, ſi Poli inimici jungantur, ſed nihil novi dicit, cùm hoc ſit cuivis Magneti commune.



VI. Sit in Magnete propoſito Axis AB. Æquator CD. Item A. Polus Boreus, B verò Auſtrinus; ſi biſſecetur ſecundùm Æquatorem CD. erit in uno fruſto E. Polus Auſtrinus, in altero autem F. Polus Boreus, reliquis Polis in priori ſuo ſtatu permanentibus. Quòd ſi biſſecetur per Axem AB. utrumque ſegmentum acquiret novos Polos prope GH. & IK.

De *Declinatione ac Inclinatione Magnetis* ſequentia notanda ſunt. I. Licèt Magnetes ac Verſoria unâ ſui parte Auſtrum, alterâ Boream reſpiciant, rariſſimè tamen (ſolâ ferè Inſulâ Flandricâ Corvo dictâ, exceptâ.) Lineæ Meridianæ, vel Axi Mundi perfectè congruunt, ſed deviant nonnihil, ac declinant versùs Orientem vel Occidentem, & hoc non tantùm in diverſis locis, ſed ſucceſſivè etiam in eodem loco; cujus cauſa (teſte

(teste Kirchero de Arte Magnetica l. 2. parte 5. ubi integrum catalogum Declinationum Magneticarum in variis Europæ locis adstruit) esse potest notabilis mutatio ac deviatio venarum Magneticarum intra Terræ viscera latentium, ortam vel ex terræ motu, vel vehementiâ ignium subterraneorum. II. Experientiâ constat, si Versorium adhuc inerme super obelum suum æquilibretur, ita ut Horizonti perfectè sit parallelum, post legitimam tamen affrictionem Magnetis in hac nostra Sphæra obliqua partem Septentrionalem ocyùs deprimi infrà Horizontem physicum versùs Polum Terræ Septentrionalem, parte oppositâ supra eundem Horizontem elevatâ; unde periti artifices solent partem Australem priùs ponderosiorem facere, ut accedente virtute imbibitâ Magnetis perfectè æquilibretur. Et hæc quidem Inclinatio Magnetis, quò magìs locus aliquis ab Æquatore recedit versùs alterum Polum, eò erit major, non tamen servatâ tam exactâ proportione incrementi, ut exinde ubivis locorum vera ejus Latitudo erui possit, uti aliqui perperàm voluêre. Varia de reliquo exprimenta & paradoxa invenies in parte IV. Magiæ naturalis Schotti Lib. 3. Syntagmate 3. c. 2.

Cæterùm Polos Magnetis inveniendi optimus videtur modus, si frustulum acûs chalybeæ, vel tenuis fili ferrei super Lapidem huc atque illuc circumducas, donec erigatur, & ubi perpendiculariter erectum steterit, ibi erit unus Polorum, & sic facillimè etiam invenies alterum ex parte opposita. Hîs jam inventîs ad debitam figuram reducendus est Magnes, circa quam obiter noto sequentia. I. Figuram Parallelopipedam, seu quadrato-oblongam esse ferè commodissimam, posteà Cubicam & Ovalem; imò etiam Sphæricam seu Terrellam in ordine ad multas experientias perutilem inveniri. II. Magnetem quoad figuram ita esse accommodandum, ut duo plana Polos ejusdem terminantia sint Axi, quantùm fieri potest, perfectè perpendicularia sibíque invicem parallela; aliàs enim radij Magnetis nonnisi obliquè, adeóque minùs efficaciter incident & agent in plana. III. Axis quò longior relinqui potest, eò erit melior. IV. Si Sphærica Figura Magneti danda est, nulla antecedenter Polorum ratio habenda, sed hi posteà primùm investigandi erunt, modo, quo suprà. V. Figurâ desideratâ debitè obtentâ Magnes perfectè applanandus ac poliendus erit. VI. Denique robur Magne-


tis

tis ex virtute ejusdem attractivâ, ex majore Sphæra activitatis, & vel maximè ex homogeneitate ejusdem, si nimirùm non multas particulas alienas, quæ radijs Magneticis transitum adimere possint, admixtas habeat.

Armatura Magnetem mirè corroborat, ita ut armatus, teste Nicolao Bion l. 3. c. 2. subinde 150. vicibus plùs trahat ac præstet, quàm inermis; quia nimirùm radij è Polo Magnetis præcipuè diffusi à medio laminæ ad ejus extremitates divergunt, & inde ad ferrum applicatum ex omni parte coëunt, sicque vis unita fit fortior, ubi observandum I. Armaturam istam potissimùm consistere in duabus laminis, nec nimìs tenuibus, si Magnes sit fortis, cùm aliàs totum illius effluvium satìs capere non possent; nec nimiùm densis, si Magnes sit debilis, ne tota vis Magnetica à proximis laminæ partibus absorbeatur. II. laminas istas debere fieri ex optimo chalybe indurato, quia nimirùm copiosiores habet poros, quàm ferrum. III. Debent hæ laminæ in extremitate geminos habere pedunculos quadratos æqualis altitudinis, sibique in una linea recta perfectè correspondentes, ac laminis ipsis proportionatè densiores, latitudinis verò tantæ, ut de axe Magnetis duas ferè tertias ob-

te-

tegant. IV. Debent in- & extrinſecùs eſſe politæ, & Polis AB. ſeu Planis Magnetis undique perfectè congruentes. V. Debent cingulo æneo CC. conſtringi, ut Magneti tantò arctiùs ex omni parte applicentur. Similiter VI. imponenda eſt ſuperiùs alia lamina ænea, quæ armaturam in D D. contineat, cum annulo in medio, qui Magnetem in æquilibrio ſuſpenſum teneat. Denique additur adhuc alia pars chalybea EE. proportionatæ magnitudinis ac formæ, ut in Figura videre eſt, cui inferiùs inſeritur uncus liberè mobilis, pro appendendis ac ſuſtinendis ponderibus: hæc autem pars chalybea debet pariter eſſe bene polita ſecundùm lineam rectam, ut pedunculi armaturæ tantò exactiùs illi inſiſtere poſſint.




Quoad armaturā Magnetis Sphærici fiant ex chalybe duo concava juſtæ denſitatis, convexitati Magnetis, ejúſque Polis perfectè congru-



gruentia, superiùs clausa in FF, cum annulo, & inferiùs circa pedunculos cingulo quodam æneo constricta in GG. Reliqua dabit Figura, & fiunt sicut in alijs suprà.

Versoria verò animantur hoc modo. Lingula seu acus magnetica ad Polum Magnetis (contrarium tamen, hoc est, Austrinum, si illa pars acûs Boream respicere debet) ab ejus medio versùs extremitatem ter vel quater leniter ac lentè adfricatur; alij verò idipsum faciunt unico non iterato tractu, & in fine continuant attactum acûs cum Magnete per unum & alterum horæ minutum, ut per hanc moram virtus Magnetica tantò perfectiùs imbibatur. Cavendum tamen, ne reducatur versorium à cuspide versùs medium, aliàs enim virtus imbibita denuò destruetur. Cæterùm quò longius est Versorium, eò magnes debet esse robustior, ac major ejusdem Sphæra activitatis; quantum

tumvis tamen Magnes ſit robuſtus, vibratio Verſorij majoris ſemper erit minor, quàm vibratio Verſorij minoris. Quòd ſi Verſorium tractu temporis debile inveniatur, novâque affrictione opus ſit, igne priùs purgandum, ſicque omni ſua virtute privandum, ac tum primùm de novo affricandum erit.



Poteſt etiam Magnes confici per artem; ſi enim fiant laminæ chalybeæ æqualis penitùs magnitudinis, numero viginti vel triginta, longitudinis circiter 10. digitorum, latitudinis verò unius digiti, ac denſitatis octavæ partis unius digiti ad ſummum; hæ, inquam, ad validum Magnetem adfrictæ, ſi ſibi invicem ſecundùm eoſdem Polos impoſitæ, ita ut rectangulum parallelopipedon efficiant, quatuor cingulis æneis in HHHH. arctè conſtringantur, ipſiſque chalybea arma-

matura convenientis magnitudinis, ut suprà, applicetur, cujus peduncuIi duos circiter digitos lati inveniantur, ac reliquis superiùs ac inferiùs armari Magnetis partibus instruantur, eandem cum Magnete naturali efficaciam in ordine ad varia experimenta ostendent. Ex innumeris autem, quæ per Magnetes exhiberi possunt, aliqua solùm in medium proferamus.

I. Si frustula minuta tenuioris fili ferri imponantur chartæ, vel tabulæ vitreæ, æneæ, aut ligneæ, ac unus Polorum Magnetis subtùs ipsis obvertatur, ocyùs erigentur, si verò alter Polus ipsis ostendatur, totaliter inversæ alterâ sui extremitate tabulæ insistent, si verò Æquatorem, seu latus Magnetis applices, mox prostratæ jacebunt. Similiter possunt II. effigiari parvuli milites ejusmodi frustulis fili ferrei, vel acûs instructi, ac duobus Magnetibus diversimodè applicatis effici, ut una eorum acies invadat alteram, ista fugiat, altera insequatur, illa stet, ista cadat &c. III. Eodem artificio formari possunt pisciculi, anates, cygni & similia aquatilia, cúmque ipsis in pelvi vel catino aquâ repleto non minùs varia ludicra institui, prout vel manum applicanti patebit. IV. Possunt varia horologia & astrolabia magnetica construi, eorúmque v. g. lim-

limbo horario occultè validus magnes includi, ad quem proinde pisciculus in aqua hamo chalybeo instructus accurret, vel columba Architæ filo suspensa advolabit, sicque horam, aut locum Solis designabit. Pari modo potest centro horologij, cujus limbus horarius circumrotetur, imponi Versorium Magneticum, in Stellæ v. g. aut Cometæ caudati, vel quamcunque aliam figuram efformatum, ac æquilibratum, & horologium ita situari, ut Versorium lineâ vel caudâ suâ horæ veræ exactè congruat, sic enim situm suum constanter servans, eam perpetuò monstrabit. V. Variæ historiæ eâdem arte exhiberi possunt, v. g. Christus super aquas incedens, & Petro periclitanti suppetias ferens; Jonas à pisce absorptus, Saul Davidem lanceâ petens, sed aberrans &c. VI. Denique valde curiosum est, si Magnetis sphærici alterutri Polo deorsùm verso applices rotulam æneam levissimam, stylo chalybeo perpendiculari instructam, eámque circumagas, pendebit hæc à Magnete, simúlque per dimidiam horam, vel horæ quadrantem continuò gyrabitur, cùm tamen super plano vix horæ minutò circumagatur, quia nimirùm cuspide styli suspensa à Magnete, nullum invenit contrarium, quod impetum infringat,

ſicut tamen ſuper plano, ſuomet pondere verſùs latera nutat. Imò ſi validus eſt lapis, poterit ſecunda rotula ſuſpendi à prima, & tertia à ſecunda, ínque partes adverſas jucundiſſimo ſpectaculo gyrari. Plura habet Kircherus in ſua Arte Magnetica, & ſuum cuique ſuggeret ingenium.

Jam ad Polos mundi in titulo propoſitos redeundo, licèt ex dictis jam aliqualiter innoteſcere poſſint, de his tamen obiter noto ſequentia. I. Polos, circa quos tota mundi machina circumvolvitur, Latinis propterea *Vertices* ſeu *Cardines* dici, quorum unus à nobis conſpicuus à proximo Urſæ Sidere *Arcticus*, alter verò oppoſitus, & infrà hæmiſphærium noſtrum latens, *Antarcticus* appellatur. II. Polus Arcticus vocatur etiam *Borealis*, & *Aquilonaris* à Borea ſive Aquilone vento, qui ab illa plaga ſpirat, atque etiam *Septentrionalis* à ſeptem Stellis Urſæ præfatæ conſtellationem efformantibus. III. Polus Antarcticus communiter etiam dicitur *Meridionalis*, à plaga Mundi ſibi correſpondente, vel etiam *Auſtralis*, à vento inde flante. IV. Poli tamen iſti non ſunt puncta viſibilia; nihilominùs ſtella extrema in cauda Urſæ minoris nominatur *Stella Polaris*, quia Polo eſt proxima, & vix $2\frac{1}{2}$ gradibus diſtat;

ſtat;

ſtit; unde etiam minimum circulum circa Polum deſcribit, libero oculo vix diſcernibilem. V. Polum Antarcticum nautis detegunt quatuor Stellæ eidem propinquæ, in modum crucis ſituatæ. VI. Quamvis ſinguli cujuſcunque ſphæræ circuli duos intelligantur habere Polos (de quibus poſteà incidenter mentionem faciemus) Polorum tamen nomine abſolutè & antonomaſticè veniunt ſoli duo Poli prædicti, utpote circa quos immobiliter conſiſtentes, quæcunque Sphæræ 24. horarum ſpatiò raptu Primi Mobilis rotantur.

In Terra, utpote immobili, licèt hujusmodi *Vertices* ſeu *Cardines* non dentur, ſicut tamen, ut ex dictis conſtat, Axe ſuo ac reliquis Circulis imaginarijs Axi mundi ac Circulis Cæleſtibus perfectè reſpondet, ita puncta Axim Terreſtrem imaginarium utrinque terminantia, ac Polis Cæleſtibus ſubſtantia, *Poli Terreſtres* intelligendi erunt; unde etiam Terræ illis confines *Subpolares* dicuntur, quæ ſpatio ſemeſtri diem continuum, ſicut & noctem ſubſequentem æqualem habent; cùm enim Æquator ejsdem perfectè intermediet, eíſque Horizontis locò ſerviat, Solem ſex Signa ſupra, ac totidem infra Horizontem percurrere neceſſe eſt. Creduntur tamen inhabitabiles, & mari ac

fretis undique cingi, circa quas illud memorabile, quod ex Atlante Novo refert Zahn in sua Oeconomia mundi mirabili Tom. 2. scrut. 4. disquis. 1. c. 2. §. 5. ex unanimi narratione Nautarum ad Spizenbergam piscationi balenarum vacantium haberi, nullam videlicet navim Boream versùs ultra 82. Latitudinis gradum progressam redijsse, intrésque incautiùs per dictos districtus divagatos nunquàm ampliùs comparuisse; mare etiam ex monte proruens omnia secum rapere, manifesto satis indicio, esse sub Polo, vel in ejusdem vicinia voraginem immensam, per quam aqua aquam trahens unà cum navibus innatantibus irresistibili vehementiâ absorbeatur, quæque per subterraneos deinde meatus procurrens tandem in alterâ parte Suppolari oppositâ regurgitetur. Propterеà etiam Idem ibidem n. 3. ex Herrera in hist. Americæ Australis, refert, Classem maritimam Regio Consilio ad detegendas Regiones Australes expeditam versùs Polum Antarcticum ultra LXX. Latidudinis gradum procedere non potuisse, ob aquarum nimirùm, aëre etiam penitùs tranquillo, ipsis perpetuò obviàm irruentium rapiditatem; quam ipsam invincibilem aquarum resistentiam experti etiam sunt Hollandi Bataviæ novæ incolæ, iter illud iteratò sæpiùs, sed irrito

rito semper conatu, prosequi minimè valentes.

In Planisphærio Poli sunt puncta extrema Axis, seu rectæ per centrum mundi ductæ, & Parallelos, signorum ad angulos rectos secantis. Ubi pro faciliore dicendorum intelligentia notandum, Circulos in Planisphærio nostro plerumque meris lineis rectis repræsentari, quales v. g. apparent annuli vel armillæ, si eas rectà aspiciamus, de quorum singulis nunc breviter agendum.

CAPUT IV.


De Sphæræ Circulis.

Dividuntur I. ratione quantitatis in *Majores*, qui idem cum mundo centrum habent, Sphærámque secant in duas partes æquales, ut Æquator, Zodiacus, Horizon, Meridianus, & duo Coluri; ac *Minores*, qui Sphæram dividunt in partes inæquales, ut ambo Tropici & Polares cum reliquis Parallelis. II. Dividuntur ratione sitûs in *Rectos*, qui cum Æquatore faciunt angulos rectos, ut duo Coluri, Meridianus, & Horizon rectus; item in *Obliquos*, qui Æquatorem secant ad angulos obliquos, ut Zodiacus, & Horizon obliquus; ac denique in *Parallelos* seu æquliter inter se distantes, uti sunt Æqua-

tor, Tropici, & Polares. III. Ratione motûs alij dicuntur *mobiles* seu *intrinseci*, qui in ipsa Sphæra sunt descripti, & in Planisphærio unacum Sphæra gyrari intelliguntur, ut Æquator, Zodiacus, Coluri, Tropici, & Polares; alij *immobiles* seu *extrinseci*, qui motâ Sphærâ, manent immoti, ut Horizon & Meridianus. De singulis jam speciatim agemus.

Horizon

Latinè *Finitor* dicitur, qui partem mundi conspectam finit, seu hemisphærium superius dirimit ab inferiore inconspecto. *Horizon* alius dicitur *Rationalis*, qui solâ intelligentiâ percipitur pertingere usque ad Firmamentum, & dividit Sphæram in duas partes æquales, nimirùm in superiorem conspicuam, & inferiorem latentem. Alius verò vocatur *Sensibilis* seu *Visualis*, qui sensu visûs percipitur ac terminatur, qui licèt respectu oculi in superficie Terræ constituti sit diversus à Rationali, respectu Cœli tamen Terra cum tota sua superficie puncti rationem habet, uti superiùs jam insinuavimus. Sic si Terra ponatur esse A, Primum Mobile seu Firmamentum BGCH, Horizon Rationa-



nalis erit BC. & ſenſibilis DE, ubi apparet, duos Horizontes BC. & DE. ſemidiametro Terræ AF. à ſe invicem diſtare, quæ quidem diſtantia reſpectu Cœli inſenſibilis eſt, ùt dictum, cùm etiam in ſuperficie Terræ ſimul videantur duæ Stellæ diametraliter oppoſitæ, quales ferè ſunt Oculus Tauri, & Cor Scorpionis. Quæcunque ergò de Ortu & Occaſu

Stellarum dicuntur, ad Horizontem *Rationalem* referenda sunt; *Horizontis Visibilis* verò diameter, teste Cluverio l. 1. c. 3. ultra 5⅝. Mill. Germ. se non extendere judicatur, licèt Ozanam celebris Professor Parisiensis in 1. parte suæ Geographiæ c. 1. unum Horizontem notabiliter diversum ab alio ad 20. vel 25. Leucas marinas, seu 15. vel 19. ferè Milliaria Germanica extendat.

Prætereà Horizon alius vocatur *Rectus*, qui per mundi Polos transiens verticem habet sub Æquatore, eúmque ad angulos rectos intersecat, ut in Fig. II. *Obliquus*, qualis est noster, dicitur, qui Æquatorem ad angulos obliquos secat, uno Polorum sursùm elevato, altero deorsùm depresso, ut in Fig. III. ac denique Horizon *Parallelus* vocatur, qui cum Æquatore coincidit, ubi sex Signa Zodiaci sunt supra, & sex infra Horizontem, ut in Fig. IV. unde etiam Sphæra ob triplicem hunc situm triplex est, nim. *Recta*, *Obliqua*, & *Parallela*, ut ex præcedentibus tribus Figuris liquet.

Porrò Horizon, sicut quivis alius Sphæræ Circulus, duos habet Polos, quorum unus perpendiculariter vertici nostro incumbit, & vocatur *Zenith*, quale est punctum G. in Fig. I. alter verò Polus è diametro oppositus H. dicitur *Nadir*, qui Antipodum cer-

vici-

Fig. 2.a




Fig. 3.ia





Fig. 4.ta



vicibus incumbit, respectu quorum est Zenith; unde mutando locum, semper etiam mutamus Horizontem: differentia tamen locorum non censetur esse notabilis, nisi ad distantiam 20. vel 25. leucarum, seu 15. circiter milliarium Germ. communium.

Officia autem Horizontis sunt I. Superius Hemisphærium ab inferiore distinguere. II. Stellas semper apparentes à nunquam conspicuis discernere. III. Monstrat Altitudinem Poli & Æquatoris; imò cujuscunque Sideris, quæ nihil aliud est, quàm arcus verticalis talis Sideris, inter istud & Horizontem interceptus, cujus complementum erit distantia Sideris à Zenith. IV. Exhibet Ortum & Occasum Stellarum, qui triplex est, Cosmicus, Achronicus, & Heliacus. Ortus vel Occasus Sideris *Cosmicus* seu *mundanus* dicitur, qui contingit Sole Oriente; *Achronicus* seu *Vespertinus*, qui fit Sole Occidente; ac denique Ortus *Heliacus*, quando Stella sub radijs Solis latens incipit conspici in Oriente, vel Occasus *Heliacus*, quando priùs conspicua, sub ijsdem incipit occultari. V. Constituit triplicem Sphæram pro diversa ad Æquatorem habitudine, nim. Rectam, Obliquam, & Parallelam, uti suprà insinuavimus. VI. Determinat quantitatem dierum artificialium, & noctium, æqualem


lem semper in Sphæra Recta, inæqualem inObliqua, ac semiannuam in Parallela. VII. Amplitudinem ortivam vel occiduam Solis, ac Stellarum, quæ nihil aliud est, quàm distantia Ortûs Sideris à puncto Ortûs Æquinoctialis, seu à puncto H. 6. Æquinoctiali. Denique ostendit etiam Crepusculum matutinum, quod incipit, quando Sol attingit decimumoctavum gradum infra Horizontem, & finitur in ejus Ortu; & vespertinum, quod ex opposito incipit in ejus Occasu, ac finitur, quando deprimitur 18. gradibus infra Horizontem, saltem in Zona temperata. In Terra nullus stabilis est Horizon.

In Planisphærio Horizontem repræsentat filum Regulæ æneæ, asteriscis (ubi graduum numeratio incipit) applicatum, in quo situ omnia superiùs dicta demonstrat, ut infrà ex instituto ostendemus.

Æquator

EST circulus ab utroque Polo æqualiter, id est, utrinque 90. gradibus distans, dividens Sphæram in duas partes æquales, nim. Septentrionalem, & Meridionalem; quem cùm Sol attingit, ubique terrarum fit

Æqui-



æquinoctium, in principio ♈. quidem *Vernum*. Initio ♎ verò *Autumnale*; unde etiam *Circulus Æquinoctialis* vocatur. Hoc ipso autem, quòd Axis mundi & Æquator sibi invicem ad angulos rectos opponantur, Altitudo Æquatoris semper est complementum Altitudinis Poli, & complementum Altitudinis Æquatoris est distantia ejusdem à puncto vertica-

ticali Zenith G. quæ vocatur *Latitudo*, unde etiam hæc ſemper eſt æqualis Altitudini Poli.

Cæterùm præter prædicta munia Æquator I. ſervit pro menſura Motûs Primi; quoties enim 15. gradus Æquatoris aſcendunt ſupra Horizontem, toties una hora eſt abſoluta. II. Eſt menſura Zodiaci, de quo poſteà. III. Eſt regula Dierum & Noctium. IV. Eſt menſura Declinationis Eclipticæ & Siderum. V. imò & Aſcenſionis Rectæ, Obliquæ, & differentiæ Aſcenſionalis. VI. Interſecat Horizontem in punctis Ortûs & Occaſûs æquinoctalis; ſicut Meridianus eum ſecat in punctis Meridiei, & mediæ Noctis, ſeu quod idem eſt, Æquator ſecat Horizontem in puncto horæ VI. ſicut Meridianus in puncto horæ XII. Denique non ſolùm Aſtronomiæ ſervit in ordine ad prædicta menſuranda, ac determinanda, ſed etiam Gnomonicæ in ordine ad innumera horologia cujcunque plano inſcribenda; imò & Geographiæ ad locorum Latitudines ac Longitudines inveſtigandas.

In Planiſphærio per lineam Axi perpendicularem in totidem gradus diſtinctam repræſentatur, ac denique in Fig. V. præcedente exprimitur per lineam QR. Axi DE.

per-

perpendicularem, ex qua plura ex jam dictis & adhuc dicendis colligi poterunt.

Zodiacus & Ecliptica.

Zodiacus, juxta Fig. V. est Circulus major IK. bifariam sectus ab Æquatore in punctis ♈ & ♎ quæ repræsentativè ex utraque parte coincidunt in A, & utrumque Tropicum tangens in punctis solstitialibus I. & K. seu ♋. & ♑. unde cum istis etiam declinat ab Æquâtore 23. grad. & 30. minutis. Ratione latitudinis dividitur Zodiacus in tres circulos parallelos, quorum duo exteriores juxta quosdam à se invicem 16. juxta alios ferè gradibus 20. à medio autem quilibet eorum 8. vel 10. circiter gradibus distat, intra quos reliqui Planetæ divagantur; medius verò Zodiaci Circulus, sub quo Sol perpetuò incedit, *Ecliptica* appellatur, eò quòd in ipsa, vel prope ipsam contingant Eclipses.

Dividitur autem Zodiacus in 12. partes seu Signa, quorum quodlibet 30. gradus continet, eorumque nomina & caracteres his versibus exprimi solent:

Sunt

♈. ♉. ♊. ♋. ♌. ♍.
Sunt *Aries*, *Taurus*, *Gemini*, *Cancer*, *Leo*, *Virgo*,
♎. ♏. ♐. ♑.
Librâque, *Scorpius*, *Arcitenens*, *Caper*,
♒. ♓.
Amphora, *Pisces*. Priora 6. Signa sunt Borealia, utpote in hemisphærio Septentrionali sita, posteriora 6. verò Australia, seu Meridionalia. Similiter ista 6. Signa ♑. ♒. ♓. ♈. ♉. ♊. vocantur *Ascendentia*, seu *Semicirculus ascendens*, quia Sol percurrendo hæc Signa ascendit, ac vertici nostro seu Zenith magis appropinquat; ista verò 6. Signa ♋. ♌. ♍. ♎. ♏. ♐. sunt *Descendentia*, & constituunt *Semicirculum descendentem*, quia per illa Sol descendit versus Nadir.

Zodiacus alius dicitur *Visualis* seu *sensibilis*, consistens in 12. Signorum constellationibus, quas videmus in Firmamento; alius *Rationalis*, constans ex 12. partibus Primi Mobilis, quæ ad distinctionem Signorum Firmamenti *Dodecametoriæ* appellantur. Hinc quando Sol dicitur esse in hoc vel illo Signo, non est intelligendum de Signorum constellationibus, utpote quæ à tempore Hipparchi, Primi Astronomicorum Instrumentorum Inventoris, qui ante 1864. circiter annos vixit, 28. grad. adeóque integro ferè Si-

gno, vi Motûs Proprij Stellarum Fixarum (quarum integra Periodus, quousque denuò ad primum suum punctum redeant, ab aliquibus 49000. ab alijs 36000. communiùs verò 25000. annorum esse asseritur.) locum suum mutârunt, ita ut Signum Arietis, quod illis temporibus correspondebat primæ Dodecametoriæ Zodiaci rationalis, nunc jam congruat secundæ, & sic de cæteris. Loquimur ergò solùm de partibus duodecimis Zodiaci rationalis, quarum prima tribuitur ♈. altera ♉. &c. juxta ordinem superiùs duobus illis versiculis indicatum.

Prætereà duo puncta Zodiaci Solstitialia; Æstivum ♋. ac Hyemale ♑. sicut & puncta Æquinoctialia, Vernum ♈. & Autumnale ♎. vocantur *Puncta Cardinalia* Eclipticæ, quia constituunt initia quatuor anni temporum, & ideò etiam prima tria Signa ♈. ♉. ♊. dicuntur *Verna*, secunda tria ♋. ♌. ♍. *Æstiva*, tria sequentia ♎. ♏. ♐. *Autumnalia*, ac tria ultima ♑. ♒. ♓. *Hyemalia*. Porrò punctum Zodiaci Oriens vocatur *Horoscopus*, & punctum superius correspondens Meridiano, dicitur *Punctum Culminans*, seu *Medium Cœli*, punctum verò inferius sub Meridiano appellatur *Imum Cœli*. Cæterùm sicut Zodiacus distat 23. grad. 30. min. ab Æquatore, ita etiam Axes utriusque totidem à se invi-

cem

cem distant gradibus, hoc solo discrimine, quòd Axis Zodiaci cum suis Polis Circulos Polares hoc suo motu describentibus, moveatur motu Primi Mobilis, Axis autem Æquatoris, qui cum Axe mundi coincidit, sit immobilis. Denique observo, Astronomos initium anni non sumere pro Calendis Januarij, prout sumitur vulgariter, sed constituere dictum anni initium in primo gradu Arietis, seu principio Veris, ubi nimirùm tota natura incipit renovari, & quo tempore communiter etiam creditur mundus fuisse conditus ac redemptus, adeóque etiam Christus Incarnatus, ac pro nobis passus & mortuus.

Est autem Zodiacus I. Regula Motûs Secundi. II. Via omnium Planetarum, sicut Ecliptica est via regia Solis. III. Suâ obliquitate gratam causat quatuor anni temporum vicissitudinem. IV. Efficit inæqualitatem dierum & noctium. V. Ecliptica (unde & nomen habet) designat loca Eclipsium, quæ non contingunt, nisi intra, vel prope eandem, Lunares quidem in Plenilunio per directam interpositionem Terræ inter Solem & Lunam, Solares verò in Novilunio per interpositionem Lunæ inter Solem & Terram. VI. Determinat Latitudinem Stellarum, quæ nihil aliud est, quàm de-

deviatio Planetæ, vel alterius Astri ab Ecliptica versùs alterutrum Polum ejusdem; unde si deflectit ad Polum Eclipticæ Australem, dicitur tale Sidus habere *Latitudinem Australem*, si ad Borealem deviat, habebit pariter *Latitudinem Borealem*. *Sol* nullam habet Latitudinem, cùm in media linea Zodiaci, seu Ecliptica perpetuò incedat. Latitudo *Saturni* Borealis est 2. grad. 48. min. Australis verò 2. gr. 49. m. ex mente Tychonis. *Iupiter* habet Latitudinem Borealem 1. gr. 38. m. Australem 1. gr. 40. min. *Mars* Borealem 4. gr. 31. m. Australem 6. gr. 47. m. *Venus* hinc inde ab Ecliptica gr. 9. m. 2. *Mercurius* pariter hinc inde 3. gr. 33. m. *Luna* in quadraturis cum Sole 5. gr. 17. m. in oppositione verò & conjunctione 4. gr. 58. min. Ubi Planetæ sunt in maxima Latitudine, dicuntur esse in *ventre* sui *Draconis*, si nullam habent Latitudinem, sed incidunt in Eclipticam, dicuntur esse in suis *Nodis*, qui sunt vel Caput vel Cauda Draconis, prout superiùs de Luna c. 2. insinuavimus.

VII. Mensurat etiam Longitudinem Stellarum, quæ nihil aliud est, quàm arcus Eclipticæ interceptus inter primum grad. Arietis, & Circulum illum, qui per Centrum Stellæ ac Polos Eclipticæ transit, quot enim gradus reperiuntur in dicto arcu, tanta erit sideris

Lon-

Longitudo. Ex quo patet, Latitudinem & Longitudinem Astronomicam Stellarum esſe longè diversam à Longitudine & Latitudine Geographica locorum, de qua inferiùs, ubi de Æquatore agemus. Denique designat limites Zonæ Torridæ, quæ inter utrumque Tropicum per puncta Solstitialia transeuntem interjacet.

In Planisphærio Ecliptica seu Zodiacus repræsentatur per Lineam Ellipticam seu Ovalem, divisam in 12. Signa, & horum singula in gradus 30. Latitudo tamen Zodiaci ibidem non exprimitur, quia evagatio hæc Lunæ v.g. non fit constanter in eodem Signo, sed Signa mutat ordine retrogrado, ita ut si nunc sit in ♈, post aliquod tempus progreditur ad ♓. &c. ac præterea cùm omnes tres circuli Zodiaci eundem habeant Axim, eosdémque Polos, ideò solummodò medius exprimitur, seu sola Ecliptica.

Meridianus

EST Circulus major transiens per Polos Mundi, & per Polos Horizontis, seu per Zenith & Nadir loci dati, ac bifariam dividens Sphæram in partem Orientalem & Occidentalem,

Nomen suum habet ex eo, quòd ubi Sol in nostro Hemisphærio eum attigerit, faciat *medium diei*, sicut in Hemisphærio inferiori *medium noctis*; & hoc verum est de omnibus Terræ populis ac locis sub eodem Meridiano constitutis. Mutatô locô versus Ortum vel Occasum semper mutatur Meridianus, unde infiniti possunt fingi Meridiani, sicut & infiniti Horizontes, de Rationali loquendo; sensibilis enim non censetur mutari, nisi mutatio loci sit satis notabilis, sicut etiam de Horizonte diximus. Ut autem sciretur, quot gradibus unius loci Meridianus sit orientalior alterô, statuunt alicubi certum Meridianum, quem vocant *Meridianum Primum*, à quo locorum Longitudines ac distantiæ numerari queant, nimirùm secundùm gradus Æquatoris, interceptos inter Meridianum Primum, & inter Meridianum loci dati, unde etiam differentia Longitudinis plurium locorum facilè eruitur. Utiliter verò hîc notandum venit, aliquos Primum Meridianum ducere per Insulam *Palmam*, unam ex Canarijs, ut Gerardus Mercator, alij per *Teneriffam* ex ijsdem Fortunatis cum Blaeu, Ianson, Vischer, Witt, Valck, Danckers & Schenck; alij per Insulam *Ferro* cum Mr. de Fer, Sanson & Iaillot; alij per Insulam *S. Vincentij Hesperidum*, vel *Pico Azoridum*, vel

Cor-

Corvo Azoridum. Ut ergò Longitudines Mapparum à diversis Meridianis initæ ad eundem Meridianum v. g. Teneriffæ reduci possint, servire poterit sequens

Tabula reductionis Meridianorum Primorum ad Meridianum ductum per Teneriffam.

Subtrahe G.	Subtrahe M.	à Gradibus Longitudinis sequentium Insularum,		Longitudines à Teneriffa Gr.	Longitudines à Teneriffa M.
2	7	Canariæ	Palma	357	53
2	51		Ferro	357	9
8	2	Hesperidæ	S. Nicolai	351	58
8	21		del Fuego	351	39
9	21		S. Vincentij	350	39
10	57	Azoridæ	Pico	349	3
13	27		Corvo	346	33
13	29		Florida	346	31

Sic v g. Sanson Primum Meridianum ponit in Insula Ferro; si ergò eum reducere volo ad Teneriffam, subtraho gradus in Tabula expressos, nim. 2°. 51′. à Longitudine Insulæ Ferro à Sansone positâ, & reducetur ad 357°. 9′. Teneriffa verò ad 360°, seu Primum

Meridianum. Quòd si verò Meridianus à Teneriffa ad Insulam Ferro, vel aliam magis Occidentalem reducendus esset, prædicti gradus locò subtractionis addi deberent, quod pro intelligendis Mappis, ac reducendis Longitudinibus plurimùm contribuere poterit.

Servit autem Meridianus I. Geographis pro inscribendis Terræ locis in suis Chartis, seu Mappis, numerando eorum Longitudines à Primo Meridiano, ut immediatè dictum est, eorumque Latitudines, numerando eas in gradibus Meridiani ab Æquatore usque ad Zenith. II. Servit Astronomis ad cognoscendam in gradibus Ipsius Altitudinem Poli & Æquatoris supra Horizontem. Imò III. Ad mensurandam ipsam Terram, modò suprà c. 2. fol. 32. insinuatô. IV. Ostendit maximam Siderum altitudinem supra Horizontem; uti & V. Eorundem Declinationem ab Æquatore. VI. Determinat Meridiem ac mediam Noctem pro omnibus Terræ locis sub eodem Meridiano constitutis. VII. Quanto tempore citiùs sit Meridies in uno, quàm in altero loco; si enim differentia Longitudinis duorum locorum convertatur in tempus, computando 15. gradus pro una hora, facilè patebit, quot horis vel minutis locus Orientali-


lior citiùs habeat Meridiem, quàm Occidentalior. Similiter idem Meridianus monstrat VIII. Quantò citiùs uni loco Sol oriatur præ altero, per eandem nimirùm Longitudinis differentiam; quò citiùs enim unus locus habet Meridiem eò citiùs etiam habebit Ortum. IX. Meridianus est initium diei naturalis secundùm Astronomos, qui integram revolutionem diurnam, hoc est, 24. horas numerant à Meridie (vel in ordine ad observanda præcepta Ecclesiæ à Media Nocte &c.) quemadmodùm dies artificialis incipit ab Ortu Solis, & terminatur in Occasu. Econtrà Itali numerant 24. horas diei ab Horizonte Occiduo, ita ut proxima hora post Occasum sit hora I. & sic ulteriùs numerando usque ad 24. sicut Babilonij ab Horizonte Ortivo. Horæ verò *Iudaicæ*, *Antiquæ*, *Planetariæ*, & *Inæquales*, sic dictæ, eò quòd Antiqui ijs regimen Planetarum specialiter attribuerint, & cùm sint duodecimæ partes diei artificialis, computatæ ab Ortu usque ad Occasum, ideò necessariò in æstate sunt majores, quàm in hyeme, consequenter *inæquales*, suntque illæ unicæ horæ, de quibus loquitur Scriptura, ut patet ex illo Ioan. 11. v. g. ubi Christus tanquam rem omnibus notam proferens, ait: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* quod tamen de alijs ho-

ris minimè verificaretur, cùm apud nos v. g. in æstate sint sedecim, in hyeme verò tantùm octo horæ diei. Idipsum luculenter patet ex Parabola Patrisfamilias Matth. 20. *qui exiit primo Mane* (hoc est, circa Solis Ortum, qui tempore Autumnali ac vindemiæ contingit juxta nostrum horas numerandi modum circa horam VI.) conducere operarios in vineam suam; tum denuò egressus est circa horam III. (quæ apud nos est IX.) ac posteà circa horam VI. IX. & XI. seu XII. III. & V. nostratem; unde ultimi solummodò unâ horâ fecerunt, nimirùm, ab hora XI. usque ad XII. & tamen acceperunt denarium &c. Similiter quando Filium Reguli Joan. 4. v. 52. horâ septimâ febris reliquit, erat juxta horas nostrates prima. Denique quando Matth. 27. v. 45. in Passione Domini tenebræ factæ sunt ab hora sexta usque ad nonam, erat tum Hierosolymis juxta nostrum horas numerandi modum hora duodecima, & tertia, ubi etiam Christus expiravit; quia verò ibidem diem duabus horis anticipant, respectu nostri, cùm Hierosolyma 30. gradibus sit Orientalior nobis, uti superiùs jam c. 1. insinuavimus; ideò in his nostris partibus tenebræ jam incepissent horâ undecimâ, fuisséntque in morte Christi finitæ horâ primâ; quæ omnia nulli

ſi alteri horarum generi conveniunt, quàm horis Iudaicis, quarum duodecim numerantur ab Ortu usque ad Occaſum, majores utique in æſtate, quàm hyeme in Sphæra obliqua, ac propterea inæquales, ut dictum.

Quoniam verò *Linea Meridiana* ad innumeros uſus Mathematicos, de quibus poſteà, non ſolùm ſummè utilis, ſed etiam neceſſaria comprobatur, ideò non abs re fore duximus, ſi unum vel alterum modum eam inveniendi, & in plano perfectè Horizontali (quod amuſſi ſeu perpendiculô examinandum eſt) deſcribendi adduceremus. Primus, ac facillimus modus eſt, ſi in plano perfectè æquilibrato (quod præſertim in ſubſequentibus modis obſervandum erit) in Æquinoctio Verno vel Autumnali ſtylum erigas, & binis vicibus per notabile intervallum eâdem die extremitatem umbræ ejusdem v. g. plumbagine notes, hæcque duo puncta lineâ rectâ conjungas, atque huic perpendicularem ducas, erit hæc Linea Meridiana. Quia verò nimis ſubinde longum foret, diem Æquinoctij, præſertim ſerenam expectare, ideò

Secundus, & quâvis die ſerenâ practicabilis modus communiter aſſignatur iſte. In Plano Horizontali ex centro A; deſcribantur plures Circuli, & in eodem Centro perpen-



pendiculariter erigatur ſtylus AB, convenientis altitudinis, ut umbram non nimis procul proijciat, ſed alterutrum circulorum commodè attingere poſſit. Tum obſervetur duabus circiter horis ante Meridiem momentum, quo extremitas umbræ ſtyli præciſè attingit peripheriam unius dicto.


ctorum circulorum, & ibi notetur punctum, v. g. C. idipsum simili horarum intervallo fiat etiam post Meridiem in puncto D. arcus verò CD. bifariam dividatur in E. & exempto stylo per punctum E. & Centrum A. ducatur recta EAB. eritque ipsissima Meridiana.

Tertius modus inveniendi Lineam Meridianam ex Tabulis Astronomicis Federici Saminiati 1. part. c. 14. est iste. Ante omnia prope fenestram v.g. in promptu sit filum suo pondere instructum, ita ut quiescens perpendiculariter insistat Plano Horizontali, in quo designanda est Linea Meridiana. Dein die, quo Sol unum ex Signis Septentrionalibus ingreditur, ex Tabula Altitudinum Solis in Circulo Verticali (inferiùs in fine II. Partis apponendâ) notetur Altitudo Solis illi diei correspondens, & magno quodam Quadrante sæpiùs exploretur Solis Altitudo supra Horizontem, donec Altitudini in Tabula inventæ perfectè congruat; tum Lineam umbræ fili nota, háncque ad Angulos rectos seca, & habebis Lineam Meridianam. In exemplo, Sole in Tropico ♋ existente (tutiùs enim operatio instituitur circa Solstitia, quàm Æquinoctia) in dicta Tabula pro nostra Elevatione Poli grad. 48. invenies 32. grad. 27. min,

quam.

quamprimùm ergò magno Quadrante observabis, Solem habere totidem graduum Altitudinem, nota Lineam umbræ fili, ut suprà, eritque Linea huic perpendicularis, Meridiana. Quandonam autem ubivis locorum Sol pertingat ad Circulum verticalem, ex dicendis in II. Parte patebit; hic Monachij verò initiò Cancri hoc contingit circiter mediâ octavâ.

Quartus modus ex eodem Authore est talis. In priori exemplo Solstitij Æstivi horâ VII. matutinâ v. g. infrà ex X. Tabula invenies Azimuth Solis $5^{\circ}\ 49'$. ex Tabula verò Altitudinum Solis supra Horizontem pariter in fine II. Partis ponendâ, eâdem die & horâ apparebit Altitudo Solis esse $27^{\circ}\ 4'$. hanc si Quadrante quoque observaveris, nota Lineam umbræ fili A. B. ut suprà, in hac ad libitum describe Circulum v. g. ex puncto C. & ex puncto B. ubi Linea umbræ fili secat dictum Circulum, numera complementum Azimuth Solis, nimirùm $84^{\circ}\ 10'$ ad sinistram versùs D. eritque Linea ducta per hoc punctum D. & Centrum C. Meridiana. Vel numera Azimuth illius diei, & horæ, scilicet $5^{\circ}\ 49'$. à pun-



à puncto B, dexteram versùs in E. & ex E. per centrum C. duc rectam E. F. eritque D. G. huic perpendicularis, Meridiana. Ubi pro praxi benè notandum est, quòd quando Altitudo Solis in Circulo Verticali est major Altitudine per Quadrantem inventâ, Azimuth censeri debeat Meridionale, si minor, Septentrionale, quousque hæc ex di-

cen-

cendis de Circulo Verticali magis elucescant.

Quintum modum adducit Dechales Tom. 4. de Astrolabio l. 5. proposit. 4.

Sextum verò non ita dissimilem priori assignat Ozanam in sua Gnomonica c. 1. Lem. 13.

Septimum describit Joan. Baptista du Hamel, Parte 2. Physicæ c. 4. qui tamen tres modi, quia prioribus operosiores sunt, ideò curiosiorem Lectorem eò ablego.

Octavus modus investigandi Meridianam erit, si in eodem Plano Horizontali simul describatur Horologium Horizontale, & Azimuthale, suo quodvis stylo instructum, illúdque tamdiu vertatur hinc inde, donec ambæ utriusque Horologii horæ sibi exactè congruant, tunc enim Linea horæ XII. insistet Lineæ Meridianæ.

Nonus Meridianam inveniendi modus esse potest, si Horologio æquinoctiali styli loco imponatur Planum versatile, eidem perpendiculariter insistens, quod suis Pinnacidiis instructum, Signa Zodiaci debitè descripta contineat; si enim hoc instrumentum (ad quæcunque Horologia muris inscribenda percommodum) tamdiu hinc inde vertatur, donec radius Solaris per dioptras transmissus locum Solis in Zodiaco

cur-

currentem attingat, invenies instrumentum ad Lineam Meridianam accuratè situatum. Verùm cùm hujus loci non sit Gnomonicam tradere, de his duobus ultimis modis alibi fortè dabitur dicendi locus.

Denique quomodo ex ipso nostro Planisphærio erui possit Linea Meridiana, inferiùs in II. Parte hujus Opusculi ostendemus.

Quantæ autem utilitatis sit Linea Meridiana in Plano Horizontali exactè descripta, satis explicari nequit; servit enim I. ad quæcunque Horologia debitè disponenda, & consequenter II. ad horam diei singulis momentis accuratè cognoscendam. III. Ad Globum conformiter Partibus Mundi situandum. IV. Ad Horologia muris ritè inscribenda. V. Ad acus Magneticas rectificandas, & VI. hac mediante ad navigia in suo cursu dirigenda. VII. Ad Mappas Geographicas in genuino suo situ collocandas. VIII. Ad instrumenta Geometrica mediante eadem acu Magnetica in eodem semper statu, ac situ (quod ad operationes Geometricas ritè instituendas unicè necessarium est) constanter conservanda. IX. Ad explorandum cujuscunque ædificij situm. X. Ad ædificia, vel Ecclesias Partibus Mundi accommodandas, v. g. ut Alta-

re Summum Ortum respiciat, Organum verò è regione Occasum spectet &c. XI. Ad declinationes murorum investigandas. XII. Ad Azimutha quovis tempore exploranda; si enim umbra alicujus corporis, plano perpendiculariter insistentis, Meridianam secet, Linea umbræ notanda, & quot graduum erit angulus sectionis, tot graduum erit Azimuth quæsitum. Denique rectificatâ Acu Magneticâ, ac pixide cum suo versorio in aliud planum translatâ, hócque ad Lineam Declinationis ut anteà situato, haud difficile erit, tali modo Lineam Meridianam in quodcunque aliud planum Horizontale transferre, dummodò locus sit ab omni ferri latentis suspicione immunis. Sed hæc de his dicta sufficiant.

Cæterùm Planisphærij Meridianus est Circulus in Limbo ibidem descriptus, in 4. Quadrantes divisus, ita ut Axis Mundi ad datam Elevationem pro lubitu moveri & accommodari queat.

Coluri.

Duo sunt *Coluri*, unus dicitur *Colurus Æquinoctiorum*, éstque Circulus maximus, qui transiens per puncta Æquinoctialia

lia Zodiaci & Polos Mundi, bifariam secat Æquatorem & Zodiacum, illum quidem ad angulos rectos, hunc autem obliquè. *Colurus Solstitiorum* est, qui transiens per puncta Solstitialia, Polos Mundi, & Polos Zodiaci, bifariam dividit Colurum Æquinoctiorum, Æquatorem, & Zodiacum, & hunc quidem utrumque ad angulos rectos, quia transit per Polos utriusque. Ambo autem simul secant Eclipticam in quatuor punctis Cardinalibus, quæ sunt initia quatuor anni temporum. In Sphæra Obliqua nunquam integrè ac uniformiter, sed quasi *truncatè* conspiciuntur, unde & *Coluri* appellantur. In Sphæra Recta medietas eorum semper existit supra Horizontem; in Sphæra Parallela autem sunt Horizonti perpendiculares.

Officium utriusque Coluri est I. Repræsentare Circulos Horarios, dum unus transit per puncta H. 6. alter verò per Meridiem. II. Designare initia quatuor anni temporum, ut ex dictis constat. III. Colurus Solstitiorum designat maximamSolis declinationem, seu obliquitatem Zodiaci. IV. Hic idem sustinet Polos Zodiaci in Circulis Polaribus. V. Dividit Eclipticam in partem ascendentem & descendentem. VI. Officium illorum est determinareCirculos Polares & Tro-

picos, & consequenter Latitudines quinque Zonarum. In Planisphærio Colurus Æquinoctiorum coincidit repræsentativè cum Meridiano, & Colurus Solstitiorum cum Axe Mundi.

§. II

De Circulis Sphæræ Minoribus.

Tropici

Sunt duo Circuli Minores, æquali spatio, nimirùm 23. grad. & 30. min. ab Æquatore distantes, quorum unus nobis propinquior *Tropicus Cancri*, alter Meridiem versùs *Tropicus Capricorni* appellatur, à revertendo sic dicti, eò quòd Sol ultra eosdem nunquam progrediatur, sed inde ad partem oppositam denuò revertatur; unde in Cancro dies est omnium longissima, & in Capricorno brevissima, & ideò Tropicus Cancri dicitur etiam *Æstivus*, sicut Tropicus Capricorni *Hyemalis*. Similiter puncta Horizontis, ubi Sol in Cancro existens oritur, vel occidit, dicuntur *Ortus* & *Occasus Æstivus*, in Capricorno autem, *Ortus* vel *Occasus Hyemalis*.

Ser-

Serviunt hi Circuli I. oſtendendo maximam declinationem Solis, quæ dictis 23. grad. & 30. minutis nunquam eſt major. II. Exhibent nobis limites ſemitæ Solaris, quos Sol nunquam transgreditur, ſed quamprimùm eos attigerit, denuò revertitur. III. Determinant Latitudinem Zonæ Torridæ inter utrumque Tropicum comprehenſæ, nimirùm 47. graduum, per cujus medium tranſit Æquator. IV. Deſignant in Horizonte maximam Amplitudinem Ortivam vel Occiduam Solis, quæ in Sphæra Recta eſt Æqualis maximæ declinationi Solis; in Sphæra Obliqua verò tantò major eſt Amplitudo Ortiva, quò obliquior eſt Sphæra usque ad 66. grad. 30. minut. ubi præciſè eſt 90. graduum. V. Denique commonſtrant, quandonam in Æſtate ſit dies longiſſimus, & nox breviſſima, in Hyeme vero nox longiſſima; & dies breviſſimus.

Quinam verò Circuli ſint Tropici in Planiſphærio, explicatione non indiget.

Circuli Polares

SUnt duo parvi Circuli inter ſe æquales, & ad Æquatorem paralleli, quos Poli Eclipticæ ſuo motu Circulari deſcribunt cir-

ta Polos Mundi; unde unus à Polo sibi proximo *Circulus Polaris Arcticus*, alter verò *Antarcticus* appellatur.

Officia eorum sunt I. Determinare Latitudinem *Zonæ Frigidæ*, quæ vel Meridionalis, vel Septentrionalis est. II. Qui Zenith vel Nadir habent, adeóque habitant sub ipsis Circulis Polaribus, habent diem in Æstate, & in Hyeme noctem longissimam 24. horarum, adhuc longiorem autem, qui habitant intra hos Circulos versùs Polum, ita quidem, ut sub ipsis Polis (si quidem Terra illa habitabilis sit) semestris evadat, absque Crepusculis, quæ etiam in Sphæra Parallela lucem diurnam prolongare solent. Denique in Coluro Solstitiorum signant etiam duos Polos Zodiaci, ac motum eorundem circa Polos Mundi, à quibus distant 23. gradibus ac 30. minutis.

Denique hi duo Circuli Polares quinam sint in Planisphærio, per se clariùs patet quàm ut ulla indicatione opus sit.

CAPUT V.

De Circulis Sphæræ Secundariis.

Paralleli Solis, ubi etiam de *Ascensione recta*, & *obliqua*.

Paralleli Solis sunt Circuli minores æqualiter à se invicem (saltem ad sensum) &

& ab Æquatore distantes, quos Sol singulis diebus describit Motu Primò Raptûs ab Oriente in Occidentem; licèt enim propter *Retardationem* quotidie uno ferè gradu Eclipticæ deviet Motu Proprio, atque adeò reipsa *Lineas Spirales* faciat, ut superiùs jam diximus, communi tamen æstimatione & usu accipiuntur pro Circulis Parallelis, pro quorum, & adhuc dicendorum meliore intelligentia serviet apposita Fig. VIII. ubi A. est *Centrum Terræ ac Mundi*, Circulus BCDE. *Meridianus*, BD. *Horizon*, CAE. *Circulus Verticalis Primarius*, quia transit per puncta horæ VI. nimirùm ♈. & ♎. C. *Zenith*, & E. *Nadir*, F. G. sunt *Poli*, FAG. *Axis Mundi*, HAI. *Circulus Æquinoctialis*, seu *Æquator*, KL. *Ecliptica* cum sua Latitudine aa. bb. quæ *Zodiacum* constituit, MK. & LN. *Tropici*, OP. & QR. *Circuli Polares*.

Jam ad propositum veniendo, si v. g. Sol existat in puncto S. describet illa die *Parallelum* TV. qui Horizontem secabit in W. puncto scilicet Ortûs vel Occasûs, in Meridiano autem, ubi dictus Parallelus eum secuerit in puncto V. erit Sol in Meridie, & in puncto T. in Media Nocte, Arcus autem DV. denotat Altitudinem Solis Meridianam, & arcus IV. declinationem Solis ab

Fig.ª VIII.ª

Æquatore. Prætereà Arcus Horizontis AW. comprehensus inter punctum Orientis Veri Æquinoctialis A. (quod coincidit cum puncto H. 6.) & punctum Ortûs vel Occasûs Solis W. dicitur *Amplitudo Ortiva* vel *Occidua*, qui inter se ferè sunt æquales. Denique Arcus WV. comprehensus inter Horizontem & Meridiem ; dicitur *Arcus se-*

semidiurnus; quantum enim temporis intervallum intercedit inter Ortum & Meridiem, tantum intercedit inter Meridiem, & Occasum. Alter verò Arcus W T. ejusdem Paralleli Solis, latens infra Horizontem, & comprehensus inter hunc & Mediam Noctem, dicitur *Arcus seminocturnus*, quia nimirùm tantùm distat Occasus à Media Nocte, quantùm hæc distat ab Ortu. Ubi etiam evidens est, dies, & consequenter etiam Arcus semidiurnos Sphæræ Obliquæ in Signis Septentrionalibus esse majores, quàm in Australibus, ita ut in ♋. sit dies longissima, & in ♑. brevissima. In Sphæra Recta autem Arcus semidiurnus toto anno est æqualis, cùm Sol ibi semper oriatur & occidat H. 6. Differentia verò inter Ortum Solis in Sphæra Recta & Obliqua, seu quod idem est, distantia Solis ab hora 6. vocatur *Differentia Ascensionalis*, quia est æqualis cum differentia inter Ascensionem rectam & obliquam.

Nomine autem *Ascensionis rectæ* intelligitur gradus Æquatoris, qui in Sphæra Recta cum Sole (vel cum alio quocunque Sidere) oritur, vel etiam in Sphæra Obliqua simul cum Sole pervenit ad Meridianum; sic v. g. si in Planisphærio locum Solis in Ecliptica quæ-

ras v. g. in noſtro exemplo gradum 23°. 17′. ♌. & in linea Arcui Horario parallela deſcendas ad Æquatorem, occurret pro Aſcenſione Recta gradus 145°. 38′.

Aſcenſio Obliqua Solis eſt gradus Æquatoris cum Sole cooriens in Sphæra Obliqua. In Planiſphærio Aſcenſio Obliqua reperitur, ſi diſtantia ab hora 6. ſeu Differentia Aſcenſionalis (quæ in dato exemplo eſt 15°. 49′.) in Signis Borealibus ſubtrahatur ab Aſcenſione Recta, vel in Auſtralibus eidem addatur, & prodibunt 129°. 49′. ut in II. Parte pluribus dicemus, & examinanti ſatis patebit.

Ubi inſuper obſervo, *Differentiam Aſcenſionalem*, ſeu *Aſcenſionum* vocari etiam illam, quæ intercedit inter duas Aſcenſiones Rectas duorum Siderum v. g. Solis & Lunæ, de qua in eadem Parte II. redibit ſermo.

Denique *Paralleli Solis*, tranſeuntes per initia Signorum vocantur etiam *Paralleli*, ſeu *Arcus Signorum*, quorum unus eſt Cancro, alter Capricorno proprius, reliqui verò ſunt ſemper duobus Signis communes, ut ♊. & ♌. ♉. & ♍. ♈. & ♎. ♓. & ♏. ♒. & ♐.

Offi-

Officia autem Parallelorum Solis sunt I. Exhibere declinationem Solis. II. Amplitudinem Ortivam. III. Longitudinem Arcûs semi-diurni vel nocturni. IV. Paralleli, qui sunt ultra Tropicos, specialiter dici possunt *Paralleli Stellarum*, quorum ille, qui Horizontem præcisè attingit versùs Septentrionem, vocatur *Parallelus maximus semper apparentium*, qui verò eundem attingit versùs Meridiem, dicitur *Parallelus maximus nunquam apparentium*, qui proinde ab alijs distinguunt Stellas *semper*, & *nunquam apparentes*.

Climata.

ULtra Parallelos Solis, assignant Geographi adhuc alios ejusmodi Circulos Parallelos, quos *Climata* appellant, quo nomine intelligitur Zona quædam minor, seu Terræ spatium duobus Parallelis tantundem à se invicem distantibus inclusum, ut dies longissimus unius, dimidiâ horâ differat à die longissimo alterius. Inter hos duos Parallelos Clima constituentes adhuc ponendus, vel saltem concipiendus est tertius Parallelus intermedius, qui Clima bifariam dividat, ubi nimirùm differentia Diei longis-


gissimi solummodò est unius quadrantis horæ; hæc tamen spatia Climatum, ac intervalla Parallelorum non sunt æqualia, sed majora prope Æquatorem, ac minora semper versùs Polos. Quoniam verò sub Æquatore dies sunt 12. horarum, sub Circulis Polaribus verò dies longissimus est 24. horarum, evidens est, differentiam dierum artificialium ab Æquatore usque ad Circulos Polares esse 12. horarum, & consequenter 24. Climata constitui debere, ita ut in I. Climate dies longissimus sit 12. horarum cum dimidia, in II. verò 13. horarum, & sic de cæteris. His 24. Climatibus addunt Moderni Geographi adhuc sex alia in ipsa Zona Frigida usque ad Polum, ubi dies longissimus in quovis Climate crescit integro mense, usquedum sub ipsis Polis dies evadat omninò semestris, ut sæpiùs jam insinuatum est. Serviunt autem hæc Climata ad cognoscendum, quantus sit dies longissimus alicujus loci sub tali, vel tali Climate; si enim numerum Climatis reduco ad horas dimidias, statim apparebit, quot horis aut semihoris dies longissimus plus contineat, quàm in Æquinoctio: sic v. g. Monachium est sub Climate VIII. nondum completo, 8. autem dimidiæ horæ dant 4. integras, quæ si addantur duodecim horis, dant 16. horas,

un-

unde colligo, diem longissimum Monacensem esse totidem ferè horarum, sicut & Clima octavum ibi nondum est integrè finitum & completum; & vicissim si scio, quot horas dimidias dies longissimus alicujus loci habeat ultra duodecim, hoc ipso etiam scio numerum Climatis. Plura dabit Tabula XXII. in fine Opusculi ponenda.

Circuli Verticales

ARabicè *Azimuth* dicti, sunt, qui transeuntes per Zenith & Nadir, Horizontem ad angulos rectos intersecant, qualis etiam est ipse Meridianus; Circulus verò Meridiano perpendicularis, ac transiens per puncta *Veri Orientis* & *Occidentis*, nim. per puncta ♈. & ♎. seu H.6. vocatur *Verticalis Primarius*, qualis in Fig. VIII. est Circulus CAE. Circulus autem transiens per Centrum Solis, in quocunque demùm Signo existentis, *Verticalis Solis* appellatur, éstque ibidem Circulus GSE. Possunt autem concipi *Verticales* infiniti, sicut & infiniti Horizontes, tot nimirùm, quot sunt puncta Horizontis. Ubi notatu dignum occurrit, quòd, quando Zenith A. (ut in Fig. IX.) est intra duos Tropicos, seu quando Elevatio Poli est minor



nor 23½. gradibus, Verticalis Solis existentis v. g. in Tropico ♋. subinde secet hujusmodi Parallelum Solis in duobus punctis, nimirùm in C. & D. tam ante, quàm post Meridiem, quod tunc contingit, quando Parallelus Solis (qui in dato exemplo est Tropicus ♋.) magìs distat ab Æquatore, quàm punctum Verticale A, seu Zenith, & tunc

tunc in loco habente hujusmodi Elevationem Poli umbra ſtyli in Horologio Solari (ad inſtar Horologij Achaz 4. Reg. 20. v. 11.) retrogredi videtur, quia nimirùm bis cadit in eundem Verticalem, adeóque ad eum accedit, recedit, ac denuò accedit.

Officium autem Circulorum Verticalium eſt I. Menſurare altitudines Aſtrorum. II. Eorum diſtantias à Zenith. III. Amplitudinem Ortivam, ſi nempe obſervetur diſtantia Verticalis Solis vel Stellæ Orientis à Verticali Primario. IV. Serviunt Circuli Verticales ad cognoſcenda Azimutha, & ad conſtruenda diverſa Horologia Azimuthalia, in quorum uno ad lineam umbræ perpendicularis directo, & Arcubus ſeu Parallelis Signorum debitè inſtructo, ſolum Verſorium, ſeu Acus Magnetica, ubi quieverit, horas demonſtret; alterum autem ſtylo perpendiculari ab uno Signo ad alterum mobili ſine Acu Magnetica idipſum præſtet; ac tertium denique limbo horario mobili inſtructum, Lingulâ Magneticâ quieſcente horam currentem deſignet. De quibus commodiùs alibi.

In Planiſphærio autem *Circulus Verticalis Primarius* facilè habetur, ſi Polo ad Latitudinem loci dati diſpoſito, à gradu nonageſimo, ſeu Zenith per Centrum Planiſphærij, ſeu punctum H, 6, recta ducatur, ſaltem

tem occultà, quæ tamen aliàs in Planiſphærio, utpote univerſali, per ſe loquendo non exprimitur.

Circuli Altitudinum

A Rabibus Almucantarath dicti, ſunt Circuli minores, inter ſe, & cum Horizonte paralleli, Verticalibus autem perpendiculares, qui ſemper decreſcendo pertingunt usque ad Zenith tanquam Polum ſuum communem, ita ut minimus ſit, qui eſt proximus puncto Verticali, ſeu Zenith, & maximus, qui eſt proximus Horizonti. Non exprimuntur tamen in Planiſphærio, quia non ſunt Circuli ſtabiles, ſed cum Horizonte continuò mutantur. Tales ſunt v. g. Circuli Polares, Tropici, ac reliqui Arcus ſeu Paralleli Signorum, ſi Planiſphærium diſponatur ad ſitum Sphæræ Parallelæ; imò in Planiſphærio pro quacunque Elevatione Poli eos repræſentabit filum Regulæ, ſi hoc in ſitu Horizonti Parallelo ſurſum promoveatur, quâ ratione omnes in quibusvis Circulis horarijs vel Parallelis Signorum haberi poſſunt Altitudines Solis ſupra Horizontem, prout in II. Parte oſtendemus. Eâdem ratione habentur initia & fines Crepuſculorum


rum, de quibus ſuperiùs c. 4. de Horizonte diximus, ſi dictum Regulæ filum deprimatur 18. gradibus infra Horizontem, & univerſim etiam gradus depreſſionum, ſi filum Regulæ demittatur ad Parallelum Solis & Arcum Horarium datum, infra Horizontem. Serviunt autem hi *Circuli Altitudinum* in Aſtronomia ad cognoſcendam altitudinem Aſtrorum ſupra Horizontem, &, quænam Sidera ſint æqualiter elevata, ſeu ſub eodem Circulo Almucantarathico, in Gnomonica verò ad deſcribenda Horologia Cylindrica, & quævis alia, quæ ex Solis altitudinibus conficiuntur.

Solent aliqui hîc etiam aſſignare *Circulos Longitudinum*, Æquatori perpendiculares, ſéque invicem ſecantes in Polis Mundi, & *Circulos Latitudinum*, ſeſe ſecantes in Polis Eclipticæ, ſic dictos, eo quòd per eos dimetiamur Longitudines & Latitudines Aſtrorum; quoniam verò eorum Officium ex dictis de Meridiano & Ecliptica ſufficienter colligi poteſt, ideò his diſſimulatis ad alia pergemus.

Circuli Poſitionum, ſeu Domorum Cœleſtium.

SUnt ſex majores Circuli, qui ſe invicem ſecantes in communibus ſectionibus Meri-

ridiani & Horizontis, dividunt Circulum Verticalem Primarium in duodecim partes æquales, *Domos Cælestes* dictas, quibus Astrologi singulares Planetarum influxus attribuunt. Incipit autem *Prima Domus* (quam etiam *Horoscopum*, *Angulum Orientalem*, & *Domum Vitæ* appellant) à puncto Ortivo deorsùm versùs Mediam Noctem, seu *Imum Cæli*. Altera Domus versùs Imum Cœli *Domus divitiarum* seu *Lucrum* vocatur. III. est Domus *Fratrum*, IV. *Parentum*, & *Angulus Terræ*. V. *Filiorum*. VI. *Domus valetudinis*. VII. *Conjugij*, & *Angulus Occidentalis*. VIII. *Domus Mortis*, & *Porta Superior*. IX. *Pietatis* seu *Religionis*. X. *Domus Regnorum*, seu *Officiorum*, & *Angulus Cæli*. XI. *Amicorum*. XII. *Inimicorum*. Patet itaque ex dictis, &




ex

ex utraque Figura apposita, ordinem Domorum esse retrogradum, & procedere ab Ortu versùs Imum Cœli, hinc ad Occidentem, inde verò versùs Medium Cœli, & hinc denuò ad Orientem, ubi est finis Domûs XII.

Serviunt autem hæ Domus Cœlestes Astrologis ad faciendas suas prædictiones secundùm diversos Aspectus Planetarum, & diversas commorationes in Domibus prædictis, dum volunt, hominum fortunam ab ijs dependere, prout tempore nativitatis boni vel mali fuerint dicti aspectus. Sunt autem Aspectus Planetarum diversæ eorum distantiæ in Zodiaco, sic qui distant 120. gradibus, dicuntur habere △. seu Aspectum *Trinum*, qui 90. □. seu Aspectum *Quadratum*; qui 60. ✶. seu *Sextilem*, ☍. seu *Oppositionem* habere dicuntur, qui distant 180. gradibus, ☌. seu *Conjunctionem* verò, qui concurrunt in eadem Linea respectu alicujus loci Terræ. Fortiores cæteris & efficaciores sunt ✶. □. △. & ☍, qui etiam *Aspectus Partiales* vocantur, eò quòd determinatam partem Zodiaci, v. g. sextam, quartam, tertiam, aut dimidiam occupent; si verò non præcisè ejusmodi partes aliquotas occupant, sed aliquibus gradibus plùs vel minus, dicuntur habere Aspectum Platicum.

Inter hos Aſpectus ✶. & △. appellantur *Boni*, quia Planetæ hujusmodi amicabili Aſpectu promittunt omnia bona; dum econtrà □. & ☍. minantur mala, eò quòd his Aſpectibus (qui propterà *Mali* dicuntur) quaſi torvis oculis Planetæ ſeſe invicem intueri videantur. ☌. ſeu *Conjunctio* eſt quaſi in-



differens, & modò benefica, modò malefica, prout Planetæ conjuncti ſibi invicem ſunt amici, vel inimici. Porrò ex Fig. XII. patet, Aſpectum ✶. ſextam partem Zodiaci, □. quartam, △. tertiam, ☍. verò dimidiam occupare, ☌. denique fieri in Linea recta. Verùm hæc & ſimilia, cùm levi videantur niti fundamento longiùs examinare non vacat, ſed qui volet, cum Regulis Aſtrologicis fuſiſſimè pertractata inveniet apud

ſæ-

ſæpè laudatum Io. Zahn tom. 1. ſcrutin. 2. disquiſ. 3. c. 6. & ſeqq.

Illud unicum hîc obſervo, poſſe Regimen Planetarum quâvis horâ, tam diurnâ, quàm nocturnâ (Planetariâ ſcilicet Iudaicâ, Antiquâ & inæquali, de qua ſola hîc ſermo eſt) facillimè cognoſci ex rotula Fig. XIII. modò initium numerationis horarum fiat ab illo Planeta, à quo dies data nomen habet; v. g. volo die Veneris horâ V. diurnâ ſcire, quis Planeta illam regat; attribuo ergo Veneri, tanquam Planetæ illius diei horam Primam, & pergo numerare horas verſùs dexteram per ſingulos Planetas usque ad horam quintam, & invenio Iovem regnare dictâ horâ V. diurnâ; ſi verò nocturnam ſcire volo, pergo numerare per gyrum dictô modô omnes 12. horas diei Planetarias, & adhuc quinque pro nocte, & incido in Lunam, tanquam Regentem illius horæ. Quod quia facillimum eſt, ideò Tabulam Regiminis Planetarum hîc apponere ſuperſedeo.


Zonæ, earúmque Habitatores.

Zonæ, quaſi Cingula Terræ ſic dictæ, ſunt quinque Spatia inter duos Circulos Mi-

nores, vel inter Circulum minorem & Polum comprehensa. Zona, quæ intra duos Tropicos includitur, *Torrida* vocatur, ob Solis nimirùm, cujus viæ subiecta est, perpetuum ardorem. Hujus medium occupat Æquator, continétque hæc Zona Torrida in sua Latitudine 47. gradus, seu 705. Mill. Germ. Circa Medium magis est temperata, quàm circa extremitates, tum quia in his Sol se diutiùs detinet propter Solstitia; tum quia ibi in Æstate dies jam sunt longiores, cùm ibi Sphæra jam incipiat fieri Obliqua; tum denique propter copiosum rorem, quem Sol ibi potentissimè attrahit, & quia ibi noctes diebus perpetuò æquales aërem notabiliter refrigerant.

Habitatores *Zonæ Torridæ*, commorantes sub ipso Æquatore I. habent perpetuum Æquinoctium. II. Sol bis in anno, nimirùm initio ♈. & ♎. est ipsis Verticalis, & ideò *Ascij*, seu inumbres vocantur. III. Omnes Stellæ æqualiter ipsis oriuntur & occidunt. IV. Quatuor habent Solstitia (sumendo ea saltem pro Accessu & Recessu Solis respectu Habitatorum, licèt respectu Solis non sint Solstitia propriè dicta) duo quidem *Alta* in principio ♈. & ♎. & duo *Ima* in principio ♋. & ♑. V. Duas habent Æstates, & duas qua-

quasi Hyemes, quia bis Sol ipsis appropinquat, & bis ab ipsis recedit. VI. Præter umbram Verticalem duplicem prædictam, præter Occidentalem & Orientalem, duas habent umbras Meridianas, Septentrionalem, & Australem, unde etiam *Amphiscij*, seu biumbres dicuntur. Denique sicut Habitatores isti Solis vigorem tam à Septentrione, quàm à Meridie æqualem experiuntur, ita etiam Natura (ut in Ebeno, ac ligno Brasiliano ritè dissecto videre est) Circulos suos in arboribus omnes ad medullam concentricos, & ad invicem parallelos describit, ut patet ex Fig. XIV. dum econtrà iidem arborum Circuli in nostris Regionibus, penitùs inter se inæquales, & excentrici, ut in Fig. XV. ac nescio quid ellipticum, parabolicum, aut hyperbolicum, ut in Fig. XVI. referentes apparent. Cujus rei ratio est, quòd arbores nostræ Solis vigore unicè ex parte sui Meridionali fruantur, sicque fibræ illarum ac venæ alimentum sugentes ex illa parte magìs dilatentur, quàm versùs Septentrionem seu mediam Noctem, ubi propter perpetuam Solis carentiam ac frigus nocturnum potiùs constringuntur & quasi suffocantur. Ex quo infertur I. Licet hodie fortè non desint artifices, qui ligna certo liquore aut spiritu per totum penetrativo ita imbue-



re possint, ut ligno v. g. Brasiliano simillima videantur, ramô tamen ligni taliter colorati aptè dissectô, fraus facillimè detegitur; si enim circulos undique concentricos, & inter se æquales exhibuerit, verum erit lignum Brasilianum, vel aliud sub Æquatore natum, si verò dictô modô inæquales ostenderit, erit adulterinum, ac unum ex nostratibus. II. Infertur, si per partem trunci arboris alicujus nostratis, ubi circuli sunt latissimi, versùs partem constrictam per medullam lineam ducas v. g. AB. in

Fig.

Fig. XV. erit hæc quasi Linea Meridiana,ita ut A. designet Meridiem, B. autem Mediam Noctem; & si decussatim per eandem medullam denuò aliam describas lineam CD, signabit C. Ortum, D. verò Occasum, ut adeò errabundus quispiam in sylva, tempore nubilo, ubi nullum extat Solis vestigium, hoc medio se ipsum juvare, & ad quam Plagam iter suum prosequi debeat, cognoscere possit. Simili medio sciendi Plagas Mundi utuntur Venatores; ubi enim vident muscum adhærere arboribus, colligunt ex illa parte esse Mediam Noctem, & consequenter ex parte opposita Meridiem. Infertur III. Arbores salubriter transplantari ab uno loco in alium, servato priori situ; si enim pars Meridianalis obvertatur Septentrioni, illa destituetur priori Solis fomento, hæc autem, utpote frigore nocturno anteà jam suffocata, respirare ampliùs haud valebit.

Qui habitant sub ista Zona inter Æquatorem & Tropicos I. Duplicem habent umbram Meridianam, & ideò pariter *Amphiscij* sunt. & II. *Ascij*; quia Solem etiam bis in anno habent Verticalem, ac insuper III. Habent etiam umbram Orientalem & Occidentalem. IV. Quatuor gaudent Solstitijs, ut suprà, duobus summis, ubi Sol ipsis fit verti-

ticalis, ac duobus imis, nimirùm quando est in Tropicis. V. Duas quoque habent Æstates, & VI. Duas Hyemes, quia Sol bis ad ipsos accedit, & bis recedit.

Qui verò sub ipsis Tropicis degunt, I. Unicam umbram habent Meridianam, nimirùm vel Septentrionalem sub ♋. vel Meridionalem sub ♑. quare *Heteroscij*, quasi Alterumbres audiunt. Sunt tamen II. etiam *Ascij*, quia semel in anno Sol ipsis est Verticalis. III. Duo habent *Solstitia*, altum sub suomet Tropico, imum in altero opposito, similiter IV. Unam Æstatem, & unam Hyemem, ob eandem rationem. Denique habent dies & noctes artificiales inæquales, quia jam sunt sub Sphæra Obliqua.

Duæ *Zonæ* extremæ circa utrumque Polum *Frigidæ* vocantur, eò quòd à via Solis longissimè remotæ sint. Qui in medio illarum, seu sub ipsis Polis habitant, habent I. Diem semestrem, talémque noctem continuam, adeóque Sol dimidio anno est supra, & alterò dimidio anno infra illorum Horizontem. II. Unicum habent Solstitium, quia unus tantùm Tropicus est in illorum hemisphærio. III. Unam habent Æstatem, nimirùm in suo Tropico, & unam Hyemem, ubi Sol est ab ipsis remotior. IV. Umbra illorum est circularis, unde & *Periscij*, qua-

quaſi Circūmbres dicuntur. V. Stellæ Fixæ, quæ ibi ſunt in ſuperiore hemiſphærio, ipſis nec oriuntur, nec occidunt. VI. Venus & Mercurius cum Sole dimidio anno morantur ſupra, tantóque ſpatio infra Horizontem; Saturnus quindecim annis, Iupiter ſex, Mars uno anno, ac denique Luna quindecim circiter diebus.

Qui ſub ipſis Circulis Polaribus degunt, habent I. Polum elevatum 66. gradibus & 30. minutis. II. In Æſtate habent diem longiſſimum 24. horarum, parémque noctem in hyeme, quod contingit Sole in Tropicis exiſtente, ubi præcisè radit Horizontem, & conſequenter in Æſtate non occidit illa die, nec oritur in Hyeme. In qua Sphæræ vel Poli Elevatione illud etiam notabile occurrit, quòd, quando Ecliptica cum Horizonte coincidit (ſicut ibidem quotidie contingit) adeóque quando omnia 12. Signa Eclipticæ ſimul ſunt ſub Horizonte, proximo momento ſimul & ſemel ſex Signa oriantur, ſeu emergant ſupra Horizontem, & ſimul ſex deprimantur infra eundem, & ſic videntur ſubinde 5. vel 6. Planetæ in eodem inſtanti ſimul oriri vel occidere, quod in alijs Sphæræ poſitionibus minimè contingit; licèt enim tam in Sphæra Recta, quàm Obliqua & Parallela, ſemper ſex Signa ſint ſu-

pra,

pra, & sex infra Horizontem, in Sphæra tamen Parallela nullum omninò Signum de novo oritur, sed eadem sex Signa perpetuò gyrantur supra Horizontem; in Sphæra Recta vel Obliqua verò singulis momentis non nisi punctum vel minima pars unius Signi oritur aut occidit. Sed hæc omnia inspicienti Globum, vel Planisphærium consideranti, magis patebunt. Prætereà 10. vel 12. diebus ante, & post Solstitium æstivum Habitatores illi nonnisi instantaneas, & quasi nullas habent noctes, quia ibi Paralleli Solis ferè solummodò radunt Horizontem, ac Hemisphærium inferius nonnisi superficialiter pertranseunt; vaporum enim copia in illis partibus causat valde magnam refractionem, præsertim prope Horizontem, quæ Solem facit apparere altiori loco, quàm reipsa sit; adeóque tunc potiùs erit crepusculum, quàm nox.

Denique qui habitant inter Polos & Circulos Polares, habent I. in Æstate diem maximam (idem est de nocte in Hyeme) tantò 24. horis longiorem, quò propinquiores sunt Polis. II. Quia Sphæram habent valde Obliquam, sicut & radios Solis, tam rigidum sentiunt frigus, ut veteres illam Regionem inhabitabilem crediderint: contrarium tamen (quidquid sit de Terris immediatè Sup-

Po-

polaribus) constat ex Terris & Insulis ibidem detectis, quales saltem sub Polo Arctico sunt Grænlandia, Islandia, Neulandia, Spizberga, & Nova Zembla &c. III. Longiora etiam habent crepuscula ob dictam Obliquitatem, vaporum copiam, ac inde orientem majorem refractionem; ubi etiam plurimæ Stellæ semper, & aliæ plurimæ nunquam videntur. Cætera omnia ipsis accidunt, sicut inhabitantibus Zonas Temperatas.

Dicuntur autem *Zonæ Temperatæ*, quia inter Solis ardorem, ac frigus sunt mediæ, quarum una, quæ Circulo Arctico, & Tropico ♋. terminatur, est *Borealis*, altera verò, quæ Circulo Antarctico & Tropico ♑. concluditur, *Australis*. Incolæ illarum I. Habent crepuscula majora, quàm in Zona Torrida, ac breviora, quàm in Zona Frigida. II. Præter umbram Orientalem & Occientalem, unicam habent umbram Meridianam, versùs Polum sibi propinquiorem sparsam, unde & *Heteroscij*, quasi Alterumbres vocantur. III. Duo habent Solstitia, *altum* & *imum*, sicut & IV. Duo Æquinoctia, V. Unam item æstatem, & hyemem. VI. Sol nunquam ipsis est Verticalis. VII. Quædam Stellæ illis nunquam oriuntur, & quædam

dam nunquam occidunt. Denique dies artificiales & noctes habent inæquales.

Pro diversitate Zonarum tria potissimùm hominum genera considerantur, nimirùm Periæci, Antæci, & Antipodes.

Periæci, quasi circumhabitatores dicuntur, qui sub eodem Meridiano, eodémque Parallelo, sed in locis oppositis ejusdem Paralleli habitant; adeóque qui secundùm Latitudinem æqualiter distant à Polo, secundùm Longitudinem verò à se invicem 180. gradibus, seu semicirculo. Tales sunt v. g. Populi Virginiæ, & Indiæ intra Gangem, quia sunt ambo in eodem Meridiano ac Parallelo, sed in parte Paralleli oppositâ; item Mexico Urbs celeberrima Indiæ Occidentalis, & Insulæ Cambæ in Asia; sicut & Nova Hispania, & Regnum Persarum.

Ultra ea, quæ Zonæ, in qua habitant, communia sunt I. diversa habent Periœci dierum, noctiúmque initia, media & fines, sicut & diversos Ortum & Occasum; quas enim horas isti numerant à Meridie, has illi numerant à Media Nocte, saltem ubi Elevatio Poli non est major 65. gradibus, & in Æquinoctio dum Sol uni loco oritur, alteri occidit; in Vere & Æstate verò, priùs uni oritur, quàm alteri occidit, econtrà in Au-

tum-

tumno & Hyeme priùs uni occidit, quàm alteri oritur. II. Locus Orientis unius, respectu alterius est locus Occasûs. III. Singulæ Stellæ æquali tempore commorantur supra eorum Horizontem, & eædem Stellæ nunquam ijs oriuntur, & nunquam occidunt.

Antœci, quasi Contrahabitantes sunt, quibus una eadémque est Longitudo, ad Meridianum communem, in duabus Zonis numerata, & æqualis Latitudo versûs utrumque Polum, Tales sunt accolæ Capitis Bonæ Spei, & Habitatores Moreæ; item Extremum Insulæ S. Laurentij vulgò Madagascar dictæ, & Mare Rubrum &c. Hi I. Meridiem, mediam Noctem, & omnes horas sibi invicem habent communes; quantitas tamen diei est illis diversa, dum enim his crescit, decrescit illis, & consequenter dies nostri sunt æquales noctibus nostrorum Antœcorum, & dum nos agimus Ver, aut Æstatem, isti experiuntur Autumnum vel Hyemem. II. In Æquinoctio Sol illis simul oritur & occidit, alijs autem diebus his citiùs, quàm illis. III. Se mutuò, vel ad Æquatorem respicientibus, uni orietur Sol ad dexteram, alteri ad sinistram, & sic de reliquis Stellis loquendo. IV. Stellæ, quæ

uni

uni loco perpetuò apparent, alteri nunquam conſpiciuntur, & econtrà.

Antipodes, qui è diametro adverſam nobis Plagam incolunt, oppoſitis quidem Parallelis 180. gradibus ſejuncti, communi tamen Meridiano ſunt comprehenſi. Dari hujusmodi homines, ex Adam utique procreatos, in Regionibus oppoſitis, hodie tam ratione, quàm quotidianâ Mercatorum, atque etiam Miſſionariorum experentiâ, certum eſt ac innegabile. Sic Malaca in Hiſpania diametraliter oppoſita eſt Capiti Corſo & Blanco in America. Quòd autem S. P. Auguſtinus L. 16. de Civit. c. 9. cum Lactantio, Beda, Procopio, & alijs antiquioribus negârit, dari ejusmodi Antipodas, feciſſe credendi ſunt ex zelo fidei, ne ſi eos ex ſolis congruentijs admiſiſſent, cogerentur fateri, eos ex Adam non fuiſſe procreatos, cùm conſtans à Clementis tempore omnium Scriptorum fuerit fama, inter Plagam noſtram Borealem, & oppoſitam Auſtralem immenſum intercedere Oceanum à nullo hominum permeabilem, quia fatalis illa inſcriptio Columnarum Herculearum: *Non plùs ultrà* omnes ab ulterioris navigationis ſtudio abſterruit, usquedum Christophorus Columbus eas Oras feliciter detexit. Sic Rivus Argenteus, ſeu *Rio dela Plata* extremè op-

opponitur ultimis finibus Chinensium, ubi ad se tutandum ab incursionibus Tartarorum murum 400. Leucarum extruxerunt.

Habent autem Antipodes I. eundem Horizontem, sed diversam ejus faciem. II. Ortus Solis ac dies unius est Occasus & nox alterius, & quò longior uni est dies, eò brevior est alteri. III. Horas diei reipsa contrarias, nomine tamen easdem v. g. 1. 2. 3. numerat unus à Meridie, alter verò à Media Nocte. IV. Ver unius est alterius Autumnus, & sic de Æstate ac Hyeme loquendo. V. à Polis diversis, & ab Æquatore æqualiter distant; sicut etiam eundem habent Meridianum, sed sub diversis Semicirculis. VI. Sidera uni perpetuò apparentia, alteri conspiciuntur nunquam. Denique faciem simul convertentibus ad Æquatorem, uni oritur Sol à dextris, alteri à sinistris.

Caput Ultimum
De Structura & Partibus Planisphærij.

PArtes Planisphærij à se invicem separabiles sunt potissimùm tres: I. Limbus exterior continens Circulum Meridianum, item Arcus Signorum & Mensium. II. Or-

bis Versatilis Limbo insertus, cui inscripti sunt Axis Mundi, & Æquator in suos gradus divisi, cum Signis, ac reliquis Parallelis Declinationum, Arcubus Horarijs, & Eclipticâ, per Lineam ellipticam repræsentatâ. III. Regula filo, & unione seu grano, secundùm longitudinem fili hinc inde mobili instructa, & pro majori commoditate ac universaliori usu in suas partes divisa. His ob alias etiam commoditates addimus Quadrantem, cum scalâ mille partium, Radio seu Semidiametro Planisphærij commensuratâ, & Triangulo pro gradibus in Eclipticam, & Arcubus Horarijs in cæteros Parallelos transportandis percommodo, de quibus omnibus singillatim, prout rei necessitas, & Constructionis Ordo postulabit, agemus.


De Limbo exteriori, Meridiano, Axe Mundi, Parallelis Zodiaci, necnon de Arcubus Signorum & Mensium.

Quadratum Rectangulum æneum, vel alterius materiæ solidæ (quæ haud dubiè præstat chartaceæ, de qua posteà) Opere tornatili ita aptè excavetur, ut ei Orbis Versatilis, ac undique in gyrum mobilis

(su-

(suis tamen, ne è Limbo excidere possit, repagulis firmandus) exactè inseri queat. Tum Orbe eidem ita inserto, ac inibi, ut dictum, firmato, dividatur hic Circulus Meridianum & Colurum Æquinoctiorum referens, utpote transiens per puncta Æquinoctialia Eclipticæ, per duas diametros AB. & CD. perpendiculariter se invicem secantes in 4. Quadrantes, & horum quivis in 90. gradus, facto numerationis initio à duobus punctis lateralibus, asterisco * utrinque notatis, usque ad punctum summum & imum 90. quæ punctum Verticale Zenith, & oppositum Nadir repræsentant. Nisi autem divisio, præsertim prima in 4. Quadrantes sit exacta, dictæ duæ diametri, nim. Axis Mundi & Æquator, moto vel parùm aut mutato Orbe Versatili, suis gradibus minimè respondebunt. Cæterùm Linea AB. exhibet Axin Mundi, Colurum Solstitiorum (transit enim per puncta Solstitialia Eclipticæ) Circulum Horæ 6. Horizontem in Sphæra Recta, & Circulum Verticalem in Sphæra Parallela; extremitates verò ejusdem referunt Polos Mundi, unde ordinariè etiam ad gradum Latitudinis Loci dati disponi debent. Altera verò Linea CD. repræsentat Circulum Æquinoctialem seu Æquatorem, item Circulum Verticalem

in Sphæra Recta, & Horizontem in Sphæra Parallela.



Dividitur autem Linea Æquinoctialis CD. in gradus 180. ita ut gradus 90. sit in Centro Planisphærij, qui gradus partim scribuntur supra dictam Lineam Æquinoctialem, ad denotandum Semicirculum à puncto ♈. usque ad ♎. & totidem infra ean-

eandem usque ad 360. pro altero Semicirculo, qui intercedit inter ♎. & ♈. qui tamen gradus non sunt inter se æquales, sed prope Centrum Planisphærij majores, versùs extremitatem verò, seu Limbum semper minores.

Hæc autem divisio in partes seu gradus inæquales institui potest I. Mechanicè, incipiendo v. g. à puncto ♈. & applicando Regulam ad gradus oppositos utriusque Quadrantis CA. & CB. nim. ad 1 & 1. 2 & 2. 3 & 3. &c. eos lineis occultis aut idealibus conjungendo, & intersectionis puncta in Æquatore notando, sicque procedendo per omnes gradus usque ad 90. Sufficiet autem divisionem hujusmodi fieri ex una parte Æquatoris; intercapedines enim horum graduum à Centro facilè transferri poterunt etiam in alteram partem Æquatoris, imò uno circini pede in Centro quiescente, eodem penitùs labore etiam transferri poterunt in utramque partem Lineæ Axis, ob plurimos usus, de quibus in II. Parte dabitur dicendi locus.

II. Fieri poterit dicta divisio Trigonometricè, mediante Tabulâ Sinuum, & Scalâ Geometricâ 1000. partium Radio Planisphærij commensuratâ, passim omnibus notâ, quam propterea in Schemate speciali debi-

rè divisam Planisphærio superaddere voluimus. Quoniam igitur in Tabula Sinuum Sinus Totus computatur pro 1000 0000. in nostra Scala verò tantùm pro 1000. partibus, ideò de Sinu in Tabula invento semper ultimæ 4. cyphræ seu figuræ ad dexteram abijciendæ seu negligendæ erunt, reliquæ verò partes ad sinistram residuæ, ex Scala accipiendæ; & è Centro in Æquatorem transferendæ erunt. Sic v. g. pro I. gradu rejectis 4. figuris ad dexteram invenio 17. pro II. gradu, 34. pro III. gradu, 52. pro IV. gradu 69. & sic de reliquis loquendo usque ad 90. tot ergò partes ex Scala dicto modo è Centro in Æquatorem atque etiam in Lineam Axis transferri debent, eritque divisio graduum in Axe, & Æquatore absoluta; de reliquis enim Parallelis semper decrescentibus usque ad Polum, postquàm modum illos in Planisphærio describendi dederimus, dicemus.

Itaque pro Parallelis Signorum non solùm per eorum initia, sed & decimos, vel omninò quintos quosvis illorum gradus pro ratione & magnitudine Planisphærij inscribendis, quære ex III. Tabula Declinationum in fine Opusculi ponendâ gradus ac minuta dictis Signorum initijs, ac decimis, vel quintis, quibusque eorum gradibus respon-

den-

dentia, & per hos gradus ex Tabula Declinationum excerptos, in Linea Axis duc rectas Æquatori parallelas, erúntque hæ Circuli ſeu Paralleli Signorum. Sic v. g. pro Parallelo tranſeunte per V. gradum ♈. invenio 2°. 0'. pro gradu X. ejuſdem invenio 3°. 58'. per hos ergò gradus & minuta in Linea Axis duco lineas ad Æquatorem parallelas, referéntque iſtæ Parallelos tranſeuntes per V. ac X. gradum ♈. eſt ſic de alijs. Pro Parallelis verò extra Tropicos inſcribendis (qui ſpecialiter *Paralleli Stellarum* dici poſſunt) alio opus non eſt, quàm ut per quintos aut decimos quoſque gradus in Linea Axis notatos ducantur Rectæ ad Æquatorem parallelæ, ut in Schemate factum vides, Circuli autem Polares ducuntur per 66°. 30'. in Linea Axis à Centro, vel 23°. 30'. à Limbo, ſeu extremitate Axis computatos.

Denique in Limbo ducantur utrinque duo Arcus Meridiano paralleli, qui tamen ſeſe ultra Tropicos non extendant, quorum duo Meridiano proximi EE. ſint Arcus Signorum, exteriores verò FF. Menſium. Si-

gnorum initia, eorúmque gradus quivis decimi, aut quinti, facillimè notantur, si Æquatore Planisphærij ad Horizontem disposito, Paralleli Signorum suprà descripti applicatâ Regulâ extra Meridianum prolongentur per dictos Arcus Signorum, usque ad Arcus Mensium, quibus posterioribus etiam Menses facilè inscribuntur, si juxta Tabulam hîc appositam eorum initia debitis

Initio	Locus ☉		Initio	Locus ☉	
Januarij	11	♑	Julij	10	♋
Februarij	13	♒	Augusti	9	♌
Martij	11	♓	Septembris	9	♍
Aprilis	12	♈	Octobris	8	♎
Maij	11	♉	Novembris	9	♏
Junij	11	♊	Decembris	10	♐

Signorum gradibus tribuantur, v. g. initium Januarij gradui XI. ♑. initium Februarij XIII. ♒. initium Martii XI ♓. &c. ubi obiter adhuc notandum est, Mensem Junium ac Decembrem, in quibus circa vigesimum primum Solstitia accidunt, ita hîc dividi, ut altera cujusque pars in dextera, altera in sinistra Meridiani reperiatur, uti ex Schemate cujvis per se patet.


De

De Circulis Horarijs, Ecliptica, Regula, Triangulo, & Quadrante.

Æquatore, ut suprà, in suos gradus diviso, per se patet, Arcus Horarios per quindenos semper ejusdem gradus, semihorarios autem per 7½. & Circulos quadrantis horæ per 3°. 45′. Æquatoris transire debere. Quoniam verò Arcus Horarij ac semihorarij, vel etiam circuli quadrantis horæ saltem usque ad Circulos Polares per omnes Parallelos continuandi sunt, ob varios usus, de quibus in II. Parte dicemus, hi autem semper tantò minores evadunt, quò remotiores sunt ab Æquatore, ideò ut dicti gradus & minuta etiam in ipsis inveniri possint, vel cuivis Parallelo peculiaris circulus describendus, ac in suos gradus & horas dividendus, vel Regula aurea adhibenda erit, dicendo: sicut se habet Radius Æquatoris 1000. ad Radium v. g. Tropicorum 917. qui est Sinus 66°. 30′. sic Sinus horæ datæ ad distantiam puncti horarij in Tropicis quæsitam. Quia verò uterque hic modus nimis laboriosus est, eadem puncta horaria sequenti viâ

longè commodiùs in quocunque Parallelo inveniri poterunt.

Fiat Triangulum æquilaterum ABC. cujus latera Radio Æquatoris exactè commensurentur. In unum igitur latus Trianguli v. g. ex A. versus B. transferantur gradus in Æquatore inventi, adscriptis eorum numeris 10. 20. 30. &c. pérque eos ducantur rectæ coëuntes in C. Hoc facto transfer Radium, seu medietatem Paralleli dati v.g. Tropici ex puncto C. in utrumque latus Trianguli in D. & E. hæcque puncta Lineâ transversâ conjunge, in qua poteris non solùm horarios cum semihorarijs & quadrantibus, sed & alios gradus quoscunque ex D. versùs E. capere, & in dictum Tropicum à Linea Axis seu Linea H. 6. transferre, & sic de alijs Parallelis extra Tropicos descriptis loquendo. Demùm puncta horarum &c. in Parallelis dicto modo notata curvilineis aptè conjunge, & habebis Arcus horarios cum semihorarijs & quadrantibus desideratos.



Ubi

Ubi tamen adhuc obſervo I. gradus in Æquatore inventos eodem penitùs labore, eadémque circini aperturâ non ſolùm ex CentroPlaniſphærij in utramque partem tam Axis, quàm Æquatoris, ſed etiam in prædictum latus Trianguli transferri poſſe. II. Eodem modo, quo gradus inæqualium Parallelorum ex Triangulo inveniuntur, & in eos transferuntur, transferri etiam poſſe gradus pro deſcribenda Ecliptica neceſſarios, juxta Tabulam ſequentem.

Tabula inſcribendæ Ecliptica.

In Parallelos transeuntes per	♋ ♑	♊ ♐	Transfer ex Triangulo à Linea horæ 6. hinc inde	Gr.	Min.
	0	30		0	0
	5	25		5	27
	10	20		10	53
	15	15		16	17
	20	10		21	39
	25	5		26	57
	30	0		32	12

				Gr.	Min.
In Parallelos transeuntes per	♌ ♒		Transfer ex Triangulo à Linea horæ 6. hinc inde		
	0	30		32	12
	5	25		37	22
	10	20		42	27
	15	15		47	29
	20	10		52	25
	25	5		57	18
	30	0		62	6
		♉ ♍			

				Gr.	Min.
In Parallelos transeuntes per	♏ ♓		Transfer ex Triangulo à Linea horæ 6. hinc inde		
	0	30		62	6
	5	25		66	51
	10	20		71	33
	15	15		76	12
	20	10		80	49
	25	5		85	25
	30	0		90	0
		♎ ♈			

In-

Incipiendo enim à ♋. in proximum Parallelum, qui transit per quintum ejusdem gradum, transfer 5°. 27′. in Tabula inventos à Linea horæ 6. in utrumque latus Paralleli, sicque pro Ecliptica describenda habebis duo puncta, nim. 5. gradum ♋. ex una, & ex altera parte 25. gradum ♊. eâdem circini aperturâ transfer etiam dictos 5°. 27′. à Linea H. 6. in utrumque latus Paralleli oppositi, qui scil. transit per 5. gradum ♑. & 25. ♐, quia eadem est dictorum 4. punctorum à Linea H. 6. distantia, sic etiam gradus in Tabula inventi 10°. 53′. in Parallelum proximum in utroque hemisphærio, & in latus utrumque transfer à Linea H. 6. sicque denuò habentur 4. puncta, nim. 10. gradus ♋. & 20. ♊. & pro Signis oppositis pariter 10. gradus ♑. ac 20. ♐. & sic per omnes Parallelos procedendo, quæ puncta omnia si lineolis debitè conjungantur, exhibebunt ellipticam, quæ hîc viam Solis Regiam, seu Eclipticam repræsentat.

Regula filo, & unione seu grano secundùm longitudinem fili hinc inde mobili, ut suprà diximus, instructa, ita utrique lateri Planisphærij adaptanda est, ut sive sursùm sive deorsùm mota, filum semper situm Horizonti parallelum servet. Cæterùm

ea-

eadem Regula, secundùm spatium Radio seu Semidiametro Planisphærij correspondens in ordine ad plurimos usus, præsertim Trigonometricos, de quibus in II. Parte dabitur dicendi locus, utilissimè dividitur in centum vel mille partes æquales.

Denique de usu *Quadrantis* superadditi, Parte II. in primis statim Problematibus dicemus.

Illud tamen adhuc monitum velim Benevolum Lectorem, præstare, si Planisphærium ex materia solida v. g. ære, aurichalco, argento &c. præparetur; charta enim seu papyrus ad typum madefacta, ac denuò siccata, situm Schematis notabiliter variat, unde circinò ac regulâ inter agglutinandum probè examinari, & parùm extendendo, vel ubi necesse fuerit, etiam contrahendo procurari debet, ut lineæ debitùm situm ac figuram servent. Quia verò non est cujusvis, similia aptè tractare, ideò conabimur, ut hujusmodi Planisphæria jam debitè præparata justo pretio haberi possint. Et hæc de structura & partibus Planisphærij, Iam verò sit

PARS II.

PARS. II.


De Utilitate ac præstantia Planisphærij.

INcomparabilem Planisphærij nostri præstantiam satis commendabit ejusdem universalitas, facilitas ac utilitas ad quævis Problemata Mathematica, in quacunque ferè Materia per illud solvenda, uti ex sequentibus sole meridiano clariùs apparebit. Quia verò pleraque ex dicendis aliqualem saltem supponunt notitiam Sinuum, Tangentium, & Secantium, eorúmque Tabularum, & Logarithmorum, ideò è re visum fuit, de his aliqua, quantùm fieri poterit, breviter præmittere. De quibus sit

CAPUT I.

De Sinibus, Tangentibus, & Secantibus, eorúmque Tabulis ac Logarithmis.

PRænotandum itaque I. Licèt nomine *Arcus* communiter intelligatur quævis pars circuli, sive major, sive minor sit semicirculo; hîc



tamen, ubi de Sinibus, Tangentibus, & Secantibus agitur, nomine *Arcûs* solùm venit segmentum Circuli minus semicirculo, quales in Figura apposita sunt imprimis quadrantes Circuli BD. DC. CE. & EB. item segmenta quadrante minora, ut BF. FD. vel quadrante majora, ut FDC. FBE. &c.

Prænotandum II. *Complementum Arcûs* dici illud, per quod Arcus differt, seu est major, vel minor quadrante. Sic *Complementum Arcûs* BF. quadrante minoris, est Arcus FD. & vicissim, quia in hoc differt Arcus minor à quadrante per defectum. *Complementum verò Arcûs* FDC. quadrante ma-

majoris est idem Arcus FD. quia in hoc differt à quadrante per excessum. Ex quo etiam patet, duos Arcus constituentes semicirculum, uti sunt BF. & FDC. habere idem Complementum commune FD. quia in hoc differt BF. per defectum, & FDC. per excessum à quadrante.

Prænotandum III. id, quod dictum est de *Arcu*, ejusque *Complemento*, intelligendum etiam esse de *Angulo* & *Complemento* ejusdem. *Arcus* enim est mensura *Anguli*, ita ut *Angulus rectus* æquivaleat Arcui quadrantis, *Angulus acutus* autem Arcui quadrante minori, & *Angulus obtusus* Arcui quadrante majori. Hinc etiam Angulus FAD. erit Complementum commune Anguli FAB. & simul Anguli obtusi FAC. & sic de alijs.

Prænotandum IV. quæcunque imposterùm de Sinibus, Tangentibus, & Secantibus *Arcuum* dicentur, etiam ad *Angulos*, quos Arcus subtendunt, extendenda esse.

Denique etiam prænotandum, *Chordam* cujusvis Arcûs esse lineam rectam Arcui *subtensam*, & quamcunque aliam lineam rectam circulo inscriptam, ita ut suis extremitatibus peripheriam præcisè tangat. Sic linea FH. erit *Chorda*, seu *Subtensa* tam respectu Arcûs FBH. quàm respectu Arcûs FCH. ex quo etiam patet, *Diametrum* esse *Chordam* omnium maximam, quæ circulo

inscribi possunt. His præmissis jam de singulis in Titulo positis dicendum.

§. I.


De Sinibus, Tangentibus, & Secantibus.

I. *Sinus* alius dicitur rectus, alius versus, & alius Totus. *Sinus rectus* alicujus Arcûs vel Anguli est linea recta ab una extremitate Arcûs ad Diametrum perpendiculariter ducta. Sic in Fig. præcedente *Sinus rectus* Arcûs BF. vel ejus Anguli BAF. est recta FI. & Sinus rectus Arcûs FD. qui est Complementum Arcûs BF. vel ejus Anguli FAD. est recta FK. dicitúrque *Sinus Complementi Arcûs*, vel, ut alij vocant, *Consinus*. Idem autem *Sinus* v. g. FI. est comunis etiam alteri Arcui FDC. complenti semicirculum. Quia verò Linea recta ex Centro perpendiculariter ducta per Chordam, per 3. 3. Euclidis, dividit tam Chordam, quàm Arcum, cui Chorda subtenditur, in duas partes æquales; ideò omnis Sinus rectus erit dimidia pars Chordæ subtendentis duplum illius Arcûs, cujus dicitur *Sinus rectus*. Sic Sinus rectus FI. Arcûs BF. est dimidium Chordæ FH. subtendentis duplum Arcûs BF.

nim, totum arcum FBH. Hinc si scitur numerus partium Chordæ totius Arcûs hoc ipso etiam scitur Sinus rectus dimidij talis Arcûs,& viciſſim.

Sinus verſus alicujus Arcûs vel Anguli eſt pars Diametri, comprehenſa inter extremitatem Arcûs & Sinum rectum. Sic *Sinus verſus* Arcûs BF. vel ejus Anguli BAF. eſt pars BI. Diametri BC. & *Sinus verſus* Arcûs FDC. eſt pars Diametri IC. Unde ſequitur, quòd *Sinus verſi* duorum arcuum BF. & FDC. conſtituentium Semicirculum,ſimul ſumpti ſint æquales Diametro. Imò poteſt etiam dici, quòd *Sinus verſus* alicujus Arcûs ſit linea recta ab extremitate hujus Arcûs perpendiculariter ducta ad Sinum rectum ejusdem Arcûs. Ubi tamen duo adhuc obſervo, I. *Sinum verſum* facilè erui, ſi Sinus Complementi ſubtrahatur à *Sinu Toto*. II. quando ſimpliciter loquimur dè *Sinu*, ſemper intelligi *Sinum rectum*.

Sinus Totus, qui & *Radius* appellatur, eſt Sinus quadrantis circuli, ſeu 90. graduum, & co-incidit cum Semidiametro, éſtque omnium Sinuum circulo inſcribendorum maximus, & eſt Sinus communis utrique quadranti, quem ſubtendit. Sic AB. eſt *Sinus Totus* tam quadrantis BD. quàm BE.



Tangens alicujus Arcûs vel Circuli est linea recta, ab extremitate Arcûs perpendiculariter ducta ad Diametrum ejusdem Arcûs, & terminata in occursu alterius rectæ ductæ à Centro per alteram extremitatem ejusdem Arcûs. Sic *Tangens* Arcûs BF. vel Anguli BAF. est recta BM. quia Arcum tangit in extremitate B. éstque ad Diametrum perpendicularis, & terminatur in occursu lineæ AM. ductæ à Centro per alteram Arcûs extre-

tremitatemF.Sic eademBM.eſt etiam*Tangens* ArcûsBG.quia ipſum tangit in extremitateB. & inſiſtit Diametro perpendiculariter, ac terminatur in occurſu rectæ MAG. ductæ per Centrum ad alteram Arcûs extremitatem G. Eodem modo *Tangens* Arcus DF. eſt recta DL. quia tangit ipſum in extremitate D. éſtque Diametro ejusdem perpendicularis, ac terminatur in puncto concurſûs L. lineæ AL. ductæ à Centro A. per alteram Arcûs extremitatem F. ac protractam in L.

Tangens Complementi eſt Tangens illius Arcûs, qui diciturComplementum. Sic quia Arcus FD. eſt Complementum Arcûs BF. & Arcûs FC. ideò ſicut recta DL. eſt Tangens Arcûs FD. ita dicitur etiam *Tangens complementi* utriusque.

Secans alicujus Arcûs vel Anguli dicitur linea recta, quæ à Centro per alteram extremitatem Arcûs ducta ſecat Tangentem. Sic *Secans* Arcûs BF. vel ejus Anguli BAF. eſt recta AM. quia à Centro A. per alteram Arcûs extremitatem F. ducta ſecat Tangentem in M. & *Secans* Arcûs DF. vel ejus Anguli DAF. eſt recta AL. quia è Centro per alteram Arcûs extremitatem F. ducta ſecat Tangentem in L. & quia Arcus DF. eſtComplementum Arcûs BF. eadem AL. eſt ſimul *Secans Complementi.*

De his verò ulteriùs notandum venit I. *Tangentem* cujuscunque Arcûs semper esse parallelum Sinui ejusdem Arcûs; sunt enim ambo ad Diametrum perpendiculares.

Notandum II. *Tangentem* BM. quadrantis Circuli BD posse produci in infinitum; cùm enim sit parallela lineæ AD. nunquam ipsi occurret, nec ab ea secabitur, idem est de Secante AD. ejusdem quadrantis BD. hæc enim quamvis protracta in infinitum, nunquam secabitur à Tangente BM. utpote sibi parallela.

Notandum III. omnem *Sinum rectum*, omnémque *Tangentem* & *Secantem* esse communem duobus Arcubus simul constituentibus 180. gradus, seu semicirculum. Sic clarum est, *Sinum rectum* FI. esse communem tam Arcui BF quàm Arcui FDC. Sic etiam *Tangens* BM. & *Secans* AM. est communis utrique Arcui prædicto.

Notandum IV. à magnitudine *Sinûs Totius* dependere etiam quantitatem *Sinuum non Totalium*, *Tangentium* & *Secantium* cujuscunque Arcûs, ita ut quò major vel minor est *Sinus Totus*, tantò etiam major vel minor sit tam *Sinus*, quàm *Tangens* & *Secans*; & linea, quæ modò est *Sinus*, potest fieri *Tangens*, vel vicissim, mutato scil. Sinu Toto, sed non mutata proportione. Sic enim recta FI,

quæ

quæ modò est Sinus Anguli BAF. respectu Sinûs Totius AB. poterit fieri Tangens ejusdem Anguli, respectu Sinûs Totius AI. Nam si ex puncto A. ejusdem Anguli BAF. per punctum I. describatur Arcus IN. *Tangens* illius erit recta FI. quæ anteà fuit *Sinus*, & per consequens AF. erit ipsius *Secans*, *Sinus* verò illius erit recta NO. Radio AI. perpendicularis, servatâ eâdem penitùs proportione. Hinc cognito semel numero partium, quas hæ lineæ continent, respectu certi alicujus Sinûs Totalis, per Regulam Trium facilè etiam cognosci poterit respectu alterius Sinûs Totius cuiuscunque demùm magnitudinis.

Notandum V ex jam dictis, omnes Sinus rectos non Totales, intra quadrantem Circuli descriptos esse minores Sinu Toto, ita ut si tam Sinus Totus, quàm reliqui Sinus non Totales dividantur in partes æquales, quilibet Sinus non Totus pauciores partes contineat, quàm Sinus Totus, tantóque pauciores, quò magìs à Sinu Toto remotus, seu quò minoris Arcûs fuerit Sinus.

Sextò denique notandum est, Antiquos Geometras divisisse *Radium*, seu *Sinum Totum* in 60. partes, & quamlibet harum denuò in 60. alias minores partes æquales, seu minuta; quia tamen hic numerus 60. vel potiùs

tiùs 3600. partium, partim insufficiens est ad evitandos errores sensibiles propter fractiones negligi solitas, partim verò minùs commodus propter numeros irrationales in ista supputatione ordinariè occurrentes, ideò Moderni ad evitanda prædicta incommoda longè plures partes Sinui Toti, seu Radio adjudicantes, eum ordinariè dividunt in 100000, imò etiam in 10000000. partes, & huic supposito insistentes supputare solent quantitatem Sinuum, Tangentium, & Secantium, ac desuper suas *Tabulas Sinuum, Tangentium & Secantium*, vel simpliciter *Tabulas Sinuum* appellari solitas, quæ passim venales inveniuntur, confecerunt, de quarum usu posteà.

§. II.
De Natura Logarithmorum.

NEmo ferè nescit, quantùm in Mathematicis usum habeat Regula Aurea Trium, seu Proportionum; datis enim tribus quibuscunque numeris proportionalibus, facillimè invenitur quartus, ducendo scil. secundum in tertium, & productum dividendo

do per primum, nam quotus ex hac divisione resultans est quartus numerus proportionalis quæsitus. Quoniam verò multiplicationes ac divisiones in magnis numeris (quales in Tabulis dant Sinus, Tangentes & Secantes) tædiosæ sunt & errori obnoxiæ, ideò Ioannes Neperus Nobilis Scotus singulari in universam Mathesin merito adinvenit, & anno 1614. vulgavit numeros quosdam artificiales, quos *Logarithmos* appellavit, quorum subsidio per solam additionem & subtractionem (laboriosæ multiplicationi ac divisioni substitutam) invenitur quartus proportionalis, tanto quidem compendio, ut mediantibus Logarithmis plures operationes & calculationes Astronomicas absolvere possimus intra horam, quàm sine illis integro die. Hos numeros in Tabulas redactos, ac Tabulis Sinuum appositos, vocavit Author *Mirificum Logarithmorum Canonem*, quem posteà excoluerunt, & partim auxerunt, partim aliter dispofuerunt insignes Mathematici, nominatim Benjamin Vrsinus, Henricus Briggius, Adrianus Ulacus, Ioan. Keplerus, Cavalerius, Faulhaberus, Philippus de Croy, Strauchius, Grüenbergerus, Ozanam, & alij, ubi Tabulas hujusmodi copiosissimas reperies, continentes non solùm *Logarithmos Sinuum*, sed

insuper etiam *Logarithmos Tangentium*, *Mesa-Logarithmos* nuncupari solitos, & *Logarithmos Secantium*, qui *Tomo-Logarithmi* vocantur. Ut autem tam utilis rei aliqualis saltem notitia habeatur,

Notandum est I. *Progressionem* in genere esse seriem numerorum æqualiter semper crescentium aut decrescentium; & siquidem illud incrementum vel decrementum fiat per additionem aut subtractionem continuam ejusdem numeri, ut 1. 2. 3. 4. 5. &c. priorem numerum semper augendo unitate, vel 1. 3. 5. 7. 9. &c. addendo semper binarium, dicitur *Progressio Arithmetica*; si verò fiat multiplicatione vel divisione per eundem semper numerum, quem *Exponentem* vocant, ut 1. 2. 4. 8. &c. 1. 3. 9. 27. &c. dicitur *Progressio Geometrica dupla*, *vel tripla* &c. Inter omnes autem Progressiones ad Logarithmos inveniendos optima videtur, quæ est omnium simplicissima, qualis inter *Arithmeticas* est prima, nim. 1. 2. 3. 4. &c. inter *Geometricas* verò decimalis 1. 10. 100. 1000. 10000. &c. ita quidem, ut primus numerus Geometricus 1. pro Logarithmo habeat 0. secundus numerus Geometricus 10. pro Logarithmo habeat 1. tertius numerus Geometricus 100. pro Logarithmo habeat 2. & sic de reliquis, ordine, qui sequitur.

Pro-

Progressio Geometrica.	Progressio Arithmetica.
1	00000000
10	10000000
100	20000000
1000	30000000
10000.	40000000
100000	50000000
1000000	60000000
10000000	70000000
100000000	80000000
1000000000	90000000
10000000000	100000000

Ex hac autem Tabella Progressionum patet, Logarithmos in Progressione intermedios inter 1. & 10. esse meras fractiones unitate minores, & ideò (ut ex Tabula Numerorum Vulgarium posteà meliùs declarandâ videre est) omnes Logarithmi usque ad 10. incipiunt à 0. seu cyphra; similiter à 10. usque ad 100. omnes inchoantur ab 1. & à 100. usque ad 1000. à 2. & à 1000. usque ad 10000. à 3. & sic de ceteris secundùm ordinem Numerorum vulgarium 1. 2. 3. 4. &c. qui propterea *Numeri Characteristici* Logarithmorum ab ipsis incipientium appellantur, & à reliquis puncto interposito separari solent, ut appareat, reliquas figuras ad dex-

dexteram positas esse fractiones decimales.

Id autem, quod inventioni Logarithmorum occasionem dedit, est differentia inter Progressionem Arithmeticam & Geometricam. Nam in Arithmetica inter 4. numeros se invicem consequentes summa duorum extremorum semper est æqualis summæ duorum intermediorum, ut patet in his exemplis 1. 2. 3. 4. & 1. 3. 5. 7. in priori enim exemplo tam duo numeri extremi, quàm intermedij, sibi invicem additi faciunt 5. in posteriori verò 8. Econtrà in Progressione *Geometrica* summa duorum extremorum semper est major summâ intermediorum; sic enim in hoc exemplo 1. 10. 100. 1000. summa numerorum extremorum facit 1000. intermediorum verò solummodò 110. Interim illud verum est, quòd locò summæ, productum ex multiplicatione extremorum sit æquale producto ex multiplicatione intermediorum; nam in priori exemplo numeri intermedij multiplicati æquè faciunt 1000. ac numeri extremi. Hinc sicut ad inveniendum quartum numerum proportionalem *Geometricum*, debent inter se multiplicari numerus II. & III. & productum dividi per primum, ita ad eruendum quartum numerum proportionalem *Arithmeticum*, debent

nu-

numerus II. & III. ad se invicem addi, & à producto subtrahi primus; unde manifestum est, multiplicationem mutari in additionem, & divisionem in subtractionem, quando operamur per numeros Progressionis Arithmeticæ, qui respectu numerorum Progressionis Geometricæ, quos repræsentant, propter proportionem, quam inter se servant, *Logarithmi* vocantur.

Ut autem mira vis & efficacia Progressionis Geometricæ tantò luculentiùs appareat (loquendo solùm de Progressione dupla, nihil dicendo de tripla, quadrupla &c. quæ incomparabiliter majus accipiunt incrementum) eam incidenter uno vel altero curioso exemplo breviter sic declaro.

Oeconomus quispiam de sua infidelitate convictus ac pœnitens, confitetur denique Iudici & Confessario, se Herum suum successivè notabiliter defraudâsse, ab initio quidem per furta solùm minuta, illa tamen indies per integrum mensem eâ ratione duplicando, ut prima die unum surripuerit nummum, alterâ duos, tertiâ 4. quartâ 8. quintâ 16. sextâ 32. &c. & sic in dupla semper proportione progrediendo per dies 30. posteà verò deprehensum destitisse, summam tamen ablatam se determinare non posse, sed malè partam iterùm dilapidâsse.

Ut

Ut ergò tam Iudex, quàm Confessarius de gravitate damnificationis in casu positæ æquum judicium ferre, & quivis scire possit, in quantum successivè damnificationes etiam minutæ excrescere valeant, dico, eum ultra 4. milliones, nim. 4473924. florenos abstulisse. Veritas hujus calculi cuivis facilè patebit, si incipiendo ab unitate priorem numerum semper duplicet, & hanc Progressionem duplam continuet per vices 30.

Aliud adhuc amplius exemplum sit, aulamRegiam 60. cubiculis pretiosissimè exornatis instructam dictâ lege venalem fieri, quo casu summa nummorum foret tanta, ut in cruцigeros, florenos, ac denique aureos redactam, vigesies quinquies mille milliones equorum, si singuli tres centenarios auri ferrent, portare non possent. Ex quo colligitur, quanti pretij foret Palatium Vaticanum, quod, teste P. Bonanni in Historia Templi Vaticani, ultra tredecim millia cubiculorum, complectitur. Incomprehensibilis autem quædam, ut ita dicam, prodibit infinitas graduum Gratiæ & Gloriæ, quibus Christus Dominus sanctissimam suam Virginem Matrem exornare dignatus est, si vera ponatur haud improbabilis quorundam Theologorum sententia, piè contendentium, eandem gloriosissimam Virginem Ma-

trem

trem ratione suæ Dignitatis ac eminentis Charitatis per singulos actus duplum prioris Gratiæ promeruisse.

Ut autem hypotheses hactenus factas veris etiam exemplis declaremus, refert imprimis Crombecius lib. 1. Perfect. c. 36. Belgam quendam alteri equum suum eo pacto vendidisse, ut pro primo clavo ungulari solvere teneretur unicum granum frumenti, pro altero duo, pro tertio 4. pro quarto 8. & sic proportione dupla progrediendo usque ad XXXII. clavum ungularem, atque summam granorum excrevisse ad 2147483648. quæ constituerunt 1239. scaphas frumenti; ubi tamen calculanti patebit, illum in clavo trigesimo primo computum suum finivisse, nec totam summam omnium 32. clavorum posuisse, quæ se extendit ad 4294967295. grana frumenti, quæ juxta superiorem computationem conficiunt scaphas à Crombecio usurpatas 2478 quarum unam 3. florenis æstimando equus constitisset 7434. florenis.

Alterum exemplum præbet nobis Ferdinandus Gonsalvus Comes Castiliæ, qui à Rege Sanctio Crasso tanquam Regni Legionensis Vasallus A. 958. citatus, secum detulit equum valde generosum, ac falconem dexterrimum, quos ambos cùm Rex apprimè

mè affectâsset, timens Comes, ne solutio diutiùs differretur, eâ lege certo pretio Regi venales fecit, ut pretium singulis diebus semper duplo augeretur, solutione ergò in septennium dilatâ, pretium præfati equi & falconis ita auctum est, ut omnes thesauri Hispaniæ ad illud redimendum impares extiterint; unde Rex satisfacere necessitatus, memoratum Castiliæ Comitatum ab omni ulteriore subjectione liberum declaravit. Sed de his satis; nunc ad priora redeamus.

§. III.

De usu Tabularum Sinuum, ac Logarithmorum.

NOn vacat, hîc tradere modum construendi Tabulas; cùm enim hæ passim inveniantur, & non minùs ac Calendaria faciliùs emantur, quàm conficiantur, ideò usum earum solummodò, & quomodo ea, quæ in Tabulis non continentur, denique erui, ac suppleri queant, quantùm fieri potest, breviter hîc insinuabimus.

De-

Declaratio & Usus Primæ Tabulæ.

DUplicis generis sunt hæ Tabulæ. Prima continet Sinus, Tangentes & Secantes cum Logarithmis per singulos gradus ac minuta Quadrantis Circuli taliter dispositâ; ut duæ facies se mutuò respicientes semper conficiant 90. gradus, & gradus ac minuta unius faciei sint complementum alterius; quod vel maximè commodum est pro praxi; ubi continuò occurrere solet necessitas Complementi Arcûs, vel Anguli; quod tali modo absque ulla subtractione à 90. gradibus, eorumque minutis, è regione semper invenire est in pagina correspondente. Sic v. g. apparet, quod Complementum Arcûs, vel Anguli 63. gr. & 54.
o /
min. sit 26. 36.

Porrò quælibet pagina complectitur gradum dimidium, seu 30. minuta, quæ adscripta inveniuntur in prima columna à sinistris, gradus verò in capite columnæ, cum suis Sinibus, Tangentibus, & Secantibus;

quorum Sinus Totus est 10000000. partium, qui sicut in minoribus calculationibus, resectis duabus cyphris ad dexteram potest accipi solùm 100000. partium, ita etiam in quovis Sinu, Tangente, & Secante tali casu à dextris rescindendæ erunt duæ figuræ seu numeri, qui proinde in hunc finem interposito puncto à prioribus separari solent. Quod attinet ad Logarithmos, ut calculus tantò exactior evadat, supputantur isti in ordine ad Sinum Totum adhuc plurium, nempe 1c0000000. seu centum millionum partium. Ponuntur autem ordinariè solummodò Logarithmi Sinuum, & Tangentium, omissis Logarithmis Secantium, eò quòd in praxi etiam sine istis totum negotium expediri, hìque aliunde haberi facilè possint, ut paulò pòst videbimus.

Dato igitur Arcu cum suis gradibus ac minutis, adeò facile est, ex Tabula ejus Sinum, Tangentem, & Secantem cum suis Logarithmis, vel vicissim dato Sinu, Tangente & Secante, item Logarithmo Sinûs vel Tangentis, Arcum illis convenientem invenire, ut præter Tabulæ inspectionem, ulteriore declaratione minimè opus sit. Aliqua tamen, quæ in ipsa Tabula non continentur, quâ ratione inveniri possint, persequentes Propositiones sic dictas ad distinctionem reliquorum Problematum principalium indi-

ca-

cabimus. Et inprimis quidem, quia in Tabula non nisi minuta prima exprimuntur, fit

PROPOSITIO I.

Sinum quoad minuta etiam secunda invenire.

Sit v. g. inveniendus Sinus Arcûs $30^{\circ}\ 20'\ 30''$. subtrahe ergò Sinum Arcûs $30^{\circ}\ 20'$ à Sinu sequente proximè majori Arcûs $30^{\circ}\ 21'$. nim.

$$\begin{array}{r} 50528 \\ \underline{50502} \\ 26 \end{array}$$

& habebis differentiam

Fiat ergò Regula Trium; si differentia unius minuti primi ab alio, seu 60. secunda, dant 26. quid dabunt 30. & invenies 13. quæ addita Sinui 30° & $20'$ dabunt 50515. Sinum scil. respondentem Arcui proposito $30^{\circ}\ 20'\ 30''$. Idem modus operandi procedit etiam circa minuta prima aliarum Tabularum v. g. Ascensionum, Declinationum &c.

 ubi

ubi soli gradus Signorum, non autem minuta sunt expressa.

PROPOSITIO II.

Minutorum quoque secundorum Tangentes, Secantes, & Logarithmos calculare.

Quia modus operandi prorsùs est idem cum priore, ideò hîc repetere, vel ulteriora exempla afferre supersedeo.

PROPOSITIO III.

Quando Sinus vel Logarithmus datus in Tabula non continetur, Arcum seu gradum cum minutis suis primis & secundis illi convenientem eruere.

Detur Logarithmus Sinûs 97736297. eo proximè minor in Tabula erit 97735327. cui respondent 36.° & 25.′ proximè major verò invenitur esse 97737039. conveniens 36.° & 26.′ differentia verò inter utrumque erit 1712. tum quæratur etiam differentia in-

inter Logarithmum datum, ac eo proximè minorem, quæ erit 970. His duabus differentijs habitis, fiat Regula Trium; si differentia 1712. dat $60''$. differentia 970. dabit $34''$. Arcus itaque dato Logarithmo respondens est 36°. $25'$. & $34''$.

PROPOSITIO IV.

Sinum Versum investigare.


Si Arcus minor est quadrante, subtrahe Sinum Complementi à Sinu Toto, Si verò est major, adde illum Sinui Toti, & productum erit *Sinus Versus.* Sic in Fig. apposita Arcus BF. est 56°. adeóque minor quadrante, cujus Sinus Complementi FK. invenitur in Tabula 55919. hunc subtrahe à Sinu Toto. 100000.

55919.

44081.

hócque residuum erit Sinus Versus BI. quæsitus.

Quia verò Arcus FDC. Quadrante major est, ideò dictus Sinus Complementi 55919. ad Sinum Totum addendus erit, & produ-



ctum 155919. est Sinus Versus IC. dicti Arcûs FDC. qui duo *Sinus Versi* simul sumpti. nim. BI, & IC, Diametro æquales sunt, adeóque conficiunt 200000.

PROPOSITIO V.

Logarithmum Sinûs Versi determinare.

Ex Logarithmo Sinûs dimidij Arcûs dati duplicato, subtrahe Logarithmum Semidij

dij, seu Logarithmum Arcûs graduum 30. & habebis Logarithmum Sinûs Versi quæsitum. Sic in suprà posito exemplo Arcus BF, est 56. graduum, & consequenter dimidium hujus Arcûs 28°. Log.us Sinûs hujus dimidij Arcûs 9[illegible]716093. Ex hoc itaque duplicato, scil. 193432186. subtrahe Logarithmum Semiradij, seu Arcûs 30°. nim. 96989700. eritque residuum 96442486. Log.us quæsiti Sinûs Versi 44081. suprà inventi.

PROPOSITIO VI.

Logarithmum dato Secanti respondentem assignare.

A Log.mo Sinûs Totius duplicato subtrahatur Log.mo Sinûs Complementi Arcûs propositi, eritque Log.us Secantis talis Arcûs, Sic si proponatur Arcus 25°. invenies Log.um Sinûs Complementi ejusdem 99572757. hunc itaq; Log.um subtrahe à Log.mo Sinûs Totius duplicato 200000000. & residuum 100427243. erit Log.us Secantis, de quo quæritur.

Usus secundæ Tabulæ Logarithmorum.

TAbula secunda continet Log.^mos Numerorum Vulgarium seu Naturalium, sese ordinatè subsequentium ab unitate usque ad 10000. qui numerus sufficit pro supputationibus ordinarijs, & absque errore notabili, juxta inferiùs dicenda, facilè extendi potest ad 10000000. seu decem milliones.

Usus autem proprius Logarithmorum potissimùm consistit in eo, ut propositis duobus vel tribus numeris, tertius vel quartus numerus proportionalis inveniatur per solam additionem & subtractionem, tædiosæ multiplicationi ac divisioni (in magnis præcipuè numeris) aliàs in Regula Trium adhibendæ, subrogatam.

In exemplo. Sicut se habent 4. ad 6. ita se habent 6. ad tertium numerum proportionalem, qui quæritur. Quemadmodùm ergò aliàs multiplicari deberent 6. per 6. & productum dividi per numerum 4. primo loco positum, ita addendus, adeóque Logarithmus 0778151 2. numero 6. respondens duplicandus erit, & ab hoc duplo 1556302 4. subtrahendus Log.^us numeri 4.

pri-

primo loco positi, nim, 06020600. & prodibit Log.us numeri 9. seu tertij proportionalis quæsiti, videlicet 09542424.

Similiter datis 3. numeris, v. g. 25. 60. 120. quartum proportionalem invenies, nempe 288. si addantur Log.mi numeri secundi & tertij, & à summa subtrahatur Logarithmus primi.

Ubi tamen adhuc observo, id, quod hactenus fieri vidimus per subtractionem Log.mi numero primo respondentis, posse etiam præstari per additionem *Complementi Arithmetici* ejusdem numeri primi, quod habetur, si à Sinu Toto simplici, vel etiam duplicato, si necesse erit, subtrahatur Log.us numeri primi. Sic in exemplo horum trium proportionalium 2. 4. 6. si à Sinu Toto 100000000. subtrahatur Log.us numeri primi 03010300. residuum 06989700. erit *Complementum Arithmeticum*, quod additum Log.mis numeri secundi & tertij hoc modo:

06020600.
07781512.
06989700.

20791812.

abjectâ unâ unitate in prima figura ad sinistram dabit Log.um 10791812. respondentem quarto numero proportionali quæsito, nim. 12.

Porrò ſicut in Regula Trium inverſâ aliàs multiplicandi ſunt numerus primus & ſecundus, & ſumma dividenda per tertium; ita hîc Log.mi numeri primi & ſecundi addendi, & à ſumma Log.us numeri tertij ſubtrahendus erit. In exemplo. 8. operarij abſolvunt opus 20. diebus, quot diebus abſolvent illud 16. operarij? adde igitur Log.os numeri primi & ſecundi, nim.

09030900.
13010300.

22041200.

& ab hac ſumma ſubtrahe Log.um numeri tertij. 12041200. & remanebunt 10000000. qui eſt Log.us numeri 10. eotidémque diebus 16. operarij abſolvent opus.

Verbo, ubi operando per numeros ſimplices utimur multiplicatione, hîc eorum Log.os addimus, & quando in ſimplicibus utimur diviſione, hîc Log.um Diviſoris ſubtrahimus à Log.mo numeri dividendi, prout ſæpiùs jam inſinuatum eſt.

Ut autem ingens utilitas, ac mira facilitas Log.orum tantò luculentiùs innoteſcat, útque ea, quæ in Tabula non reperiuntur, à quovis ſuppleri poſſint, rem ſequentibus adhuc Propoſitionibus declarabimus.

PRO-

PROPOSITIO I.

Duos numeros 10000. minores, adeóque in Tabula reperibiles, ope Log.rum inter se multiplicare.

Quærantur in Tabula secunda Log.mi duorum numerorum propositorum, v.g. 145. & 62. & ad se invicem addantur; summa enim ostendet è regione productum multiplicationis quæsitæ, nempe 8990. hoc modo.

145.	21613680.
62.	17923917.
8990.	39537597.

Quid autem faciendum, si numerus evadat major, quàm ut in Tabula inveniri possit, videbimus in Propos. 7. & 8.

PROPOSITIO II.

Datum numerum quemcunque 10000. minorem pro labitu per Log.mos dividere.

A Log.mo numeri dividendi subtrahe Log.um Divisoris, eritque residuum Log.us Quotientis quæsiti. In exemplo. Sit dividendus nu-

numerus 4608. per Divisorem 32. A Log.^{mo} itaque prioris 36635125.
subtrahatur Log.^{us} posterioris 15051500.

21583625.

eritque hoc residuum Log.^{us} Quotientis 144. quæsiti. Quòd si tale residuum in Tabula exactè non inveniatur, signum est adhærentis fractionis, de qua infrà in Propositione 9. & 10.

PROPOSITIO III.

Ex numero 10000. minore Radicem quadratam extrahere.

Log.^{us} numeri dati dimidiatus, dat Log.^{um} Radicis quæsitæ. Sic si Radix quadrata extrahenda sit ex 9604. Log.^{us} ipsius est 39824522. hujus dimidium, scil. 19912261. erit Log. Radicis 98. quæsitæ

PROPOSITIO IV.

Datê numerô, seu lineâ, ejus Quadratum seu Aream assignare.

Log.^{us} numeri dati 12. v. g. 10791812. duplica, & habebis Log.^{um} 21583624. cui respondet Area seu Quadratum numeri 12. nim. 144.

PRO-

PROPOSITIO V.

Ex dato numero Radicem Cubicam extrahere.

Tertia pars Log.^{i} numeri propositi dabit Radicem Cubicam. Sit v. g. ex 6859. extrahenda Radix Cubica, Log. illius est 38362608. & hujus tertia pars, nempe 12787536. dabit Radicem 19.

PROPOSITIO VI.

Dati alicujus numeri Cubum supputare.

Sit numerus propositus 12. hujus Log.^{um} 10791812. triplica, & productum 32375436. dabit 1728. Cubum scilicet numeri 12.

PROPOSITIO VII.

Numeri dati 10000 majoris Log.^{um} investigare.

Methodus sequens hoc præstandi non est quidem in rigore Geometrico undequaque exacta, attamen ab errore sensibili libera usque ad 10000000. est autem ista.

Sit

Sit inveniendus Log.^{us} numeri dati 3567894. qui cum suo Log.^{mo} haud ampliùs invenitur in Tabula Numerorum Vulgarium. Ab isto ergò numero rescindantur ultimæ tres figuræ ad dexteram 894. tot nim. ut residuum 3567. cum suo Log.^{mo} adhuc inveniri possit in Tabula prædicta; cujus residui Log.^{us} deprehendetur esse 35523031. Quia verò à numero dato 3567894. tres ultimæ figuræ, nim. 894. sunt ablatæ, quæ residuum millies, ac insuper 894. vicibus augent, ideò imprimis quia 3. figuræ sunt ablatæ, præfato Log.^{mo} addendus erit Numerus Characteristicus 3. qui juxta dicta illum auget mille vicibus, & sic habebitur Log.^{us} 65523031. qui respondet numero 3567000. ut autem insuper eruatur Log.^{us} pro 894. rescissis, subtrahendus est Log.^{us} 35523031. numeri 3567. à Log.^{mo} proximè majori immediatè sequente 35524248. numeri 3568. & restabunt 1217. quæ est differentia de 1000. sicut differentia numerorum 3567000. & 3568000. est etiam 1000. Jam dico per Regulam Trium; si 1000. dant 1217. quid dabunt 894. & prodibunt 1087. quæ addita Log.^{mo} 65523031. numeri minoris 3567000. dabunt Log.^{um} 65524118. respondentem numero proposito 3567894. quæ Propositio quia in multis servire poterit, ideò per plura exempla se in-

ea

ea exercere perutile erit, quemadmodùm etiam in tribus sequentibus.

PROPOSITIO VIII.

Log.^mo dato numerum respondentem assignare.

Pro exemplo reassumamus Log.^um in praecedenti Propositione inventum 65524118. Qua in re

Observandum I. productum numeri simplicis inquirendi semper debere continere unâ figurâ plures, quàm indicat Numerus Logarithmi Characteristicus. Sic quia Characteristicus Log.^mi dati est 6. numerus Log.^mo respondens debet constare 7. figuris.

II. Quia Log.^us datus in Tabula non invenitur, mutandus est primus Characteristicus 6. in minorem adhuc in Tabula reperibilem, nim. in 3.

III. Quia etiam hic Log.^us 35524118. exactè in Tabula non continetur, ideò à proximè majore 35524248. subtrahendus est proximè minor 35523031. & habetur differentia I. nim. 1217.

IV. A Log.^mo dato 35524118. subtrahitur proximè minor, 35523031. eritque differentia II. 1087.

V. Fi-

V. Fiat Regula Trium ; sicut se habet differentia prima 1217. ad secundam 1087. ita se habent 1000. (quæ indicantur per Characteristicum 3. de novo assumptum) ad numerum inquirendum, videlicet:

1217. 1087.

1000.

1087000.

qui divisus per numerum primo loco positum, nempe 1217. dabit 894. proximè.

VI. Denique quæratur, quis numerus vulgaris Log.^mo^ dato 35524118. vel saltem proximè minori respondeat, & occurrent 3567. his si ad dexteram annectantur 894. ultimò inventi, prodibit numerus 3567894 Log.^mo^ dato respondens, qui erat inquirendus.

PROPOSITIO IX.

Fractionis propriè dictæ Logarithmum invenire.

Per *Fractionem propriè dictam* intelligitur illa, cujus Numerator minor est Denominatore, uti est $\frac{2}{5}$. $\frac{3}{4}$. $\frac{2}{3}$. &c. quando verò Numerator major est Denominatore, ut $\frac{15}{4}$. $\frac{10}{3}$. &c. dicitur *impropriè dicta*. De priore itaque loquendo, pro exemplo ponamus hanc fractionem $\frac{2}{5}$. Subtrahatur ergò Log.^us^ Numerato-

ris

tris 2. nim. 03010300. à Log.mo Denominatoris 5. nempe 06989700. & residuo præponatur signum defectivum — hoc modo:

06989700.
03010300.
— 03979400.

Ratio est, quia licèt fractio $\frac{2}{5}$. data sit quotiens divisionis, in qua 2. esset de jure numerus dividendus per divisorem 5. quia tamen numerus dividendus est minor divisore, ideò Log.us minoris ex majore subtrahendus, & signum defectivum --- præponendum erit. Cùm enim fractio sit minor, quàm unitas, cujus Log.us est 0. etiam fractio necessariò numerum minorem, quàm 0. habebit pro suo Log.mo; sicut qui duos haberet nummos, & deberet creditori suo 5. non tantùm nihil, sed minùs nihilo, haberet residui, quia si haberet adhuc 3. solutione factâ nihil ipsi remaneret. Eodem modo apparebit, quòd hæc fractio $\frac{3}{4}$. pro Log.mo habeat — 01249387. hæc $\frac{2}{3}$. verò — 01760913.

O PRO-

PROPOSITIO X.

Dato numero integro cum fractione adhærente, convenientem Log.um assignare.

Numerus datus v. g. $25\frac{3}{4}$. reducendus est ad fractionem impropriè dictam, cujus Numerator sit major Denominatore, ducendo scil. Denominatorem 4. in numerum integrum 25. & producto 100. addendo Numeratorem 3. stabitque fractio hoc modo $\frac{103}{4}$ Tum operare, ut in Problemate præcedente, subtrahendo nim. Log.um Denominatoris 4. à Log.o Numeratoris 103. videlicet:

20128372.
06020600.

14107772.

eritque hoc residuum Log.mus quæsitus, attamen haud ampliùs defectivus seu negativus, ut in Problemate præcedente, sed affirmativus absque præpositione signi defectivi, quia scil. fractio impropriè dicta est major unitate. Ubi tamen adhuc observo, posse fractiones diversissimè instrui, ac proinde plures numeros integros cum suis fractionibus

bus annexis habere eosdem Log.os Sic v. g. in exemplo Problem. 7. hi numeri 3567894. vel $356789\frac{4}{10}$. vel $35678\frac{94}{100}$. vel $3567\frac{894}{1000}$. vel $356\frac{7894}{10000}$. vel $35\frac{67894}{100000}$. vel $3\frac{567894}{1000000}$. eosdem habent Log.mos solo Numero Characteristico excepto, quem suprà §. II. paulò post Tabulam Progressionum diximus, à reliquis figuris puncto interposito separari solere, ut appareat, reliquas figuras ad dexteram positas esse fractiones decimales. Sic Log.us primi numeri erit 6.5524118. secundi 5. 5524118. tertij 4. 5524118. quarti 3. 5524118. quinti 2. 5524118. sexti 1.5524118. ac septimi denique 0. 5524118.

His itaque de utraque Tabula Sinuum ac Log.orum pro faciliore dicendorum intelligentia, & expeditiore sequentium Problematum resolutione præliminariter præmissis, ad materiam hic nobis ex instituto præfixam redeundum est, Sit itaque

CAPUT II.

Usus & utilitas Planisphærij per plurima Problemata Astronomica, Gnomonica, Geographica, ac præsertim Trigonometrica demonstratur.

HÆc antequàm proponamus, in pau-

cis præmonitum velim benevolum Lectorem.

I. In fine Opusculi non solùm reperiri Tabulas in sequentibus operationibus necessarias, sed insuper etiam tradi modum, easdem pro quacunque demùm Locorum Latitudine conficiendi.

II. Præmoneo, Tabulas Declinationum Eclipticæ, Altitudinum Solis, Ascensionum, & Azimuthorum &c. passim extantes, in minutis præsertim, non convenire; tum quòd diversi Authores circa Declinationem maximam, Altitudinem Poli certi cujusdam Loci, cui ejusmodi Tabulæ accommodatæ sunt, & similia, diversa supponant principia; tum quòd minuta secunda ordinariè negligantur; tum etiam quòd idem subinde Author ejusmodi Tabulas nec sibi ipsis constantes, vel ipsos aliquando errores in Typographia, vel calculo admissos ex diversis conscribat. Unde etiam

III. Operanti juxta Regulas pro resolutione sequentium Problematum tradendas mirum videri minimè debet, si calculus cum Tabulis forte ad manus habitis minùs exactè concordet, non quia Regula fallit, sed quia subinde Logarithmi necessarij, ac inter minuta prima intermedij, in Tabulis præcisè non reperibiles, atque adeò minuta

sec-

ſec. neglecta, præſertim ubi plures operationes interveniunt, hujusmodi diſcrepantiam parere poſſunt.

IV. Præmoneo, Tabulas Locorum Solis v. g. vel Lunæ in Zodiaco, & ſimiles, ordinariè conſtrui pro tempore meridiano; unde ſi operatio pro alia diei hora inſtituenda eſt, ratum temporis haud negligendum erit.

V. Si addendus vel ſubtrahendus eſt v. g. Log.us Sinûs Totius (quod ne continuò in ſequentibus repeti debeat, hîc univerſaliter præmonitum velim) alio opus non eſt, quàm ut tali Log.mo à ſiniſtris addatur unitas, vel inde auferatur, ſi eſt ſubtrahendus. Quòd ſi Log.us jam habeat præfixam unitatem, & addendus ſit *S*inus Totus, duplicandus erit primus numerus; vel ſi ſubtrahendus ſit Sinus Totus, & Log.mus habeat præfixum numerum binarium vel ternarium, iſte una unitate minuendus erit.

VI. Numerus graduum communiter notari ſolet parvulâ Nullâ, ut vocant, minuta prima verò unâ virgulâ, & minuta ſecunda duabus &c. hoc modo:

o / //
42. 23. 36.

id eſt, quadraginta duo gradus, viginti tria minuta prima, & triginta ſex ſecunda; ſi

verò calculus se extenderet ad tertia, quarta &c. minuta, hæc 3. vel 4. virgulis notanda forent.

VII. Ut ij, qui Tabulas Sinuum ac Logarithmorum non statim ad manus habent, interim se tam in prædictis de Usu earundem, quàm in Problematibus Logarithmicè solvendis aliqualiter exercere possint, aliis Tabellis in fine Opusculi ponendis, addemus saltem partem Tabularum Sinuum per omnes gradus, & quinta quæque Minuta, quoad Numeros vulgares verò usque ad 1000.

Denique antequàm ad Problemata Nostra Logarithmicè solvenda progrediamur, quædam quasi præliminaria partim scitu utilia, partim etiam necessaria, attamen nonnisi operationes simplices requirentia, præmittenda censui, ut Benevolus Lector facilioribus hisce jam assuetus, ad difficiliora adhuc secutura tantò lubentiùs animum & operam impendat. Sit itaque

PROBLEMA I.

Diem ingressus Solis in singula Signa, atque etiam gradum Signi quovis die determinare.

Ad hoc serviunt sequentes versiculi :

In-

Inclyta Laus Iustis Impenditur, Hæresis Horret & Grandia Gesta Gerens, Felici Gaudet Honore. Duodecim hæ dictiones 12. Mensibus, servato eorum ordine, tribuuntur, prima scil. Januario, secunda Februario &c. ubi solà earum litera initialis, quotum in Alphabeto locum obtineat, attenditur; sic enim F. ponitur in Alphabeto sexto loco, G. septimo, H. octavo, I. nono &c. Signa autem, quæ Sol quovis mense ingreditur, facilè teneri memoriâ poterunt, si Martio (tanquam anni Astronomici principio, ut I. Parte c. 4. de Zodiaco observavimus) tribuatur ♈. Aprili ♉. Majo ♊. &c. juxta ordinem Signorum, tritis illis versiculis *Sunt Aries, Taurus* &c. indicatum. Si ergò diem ingressûs Solis in singula Signa ex prædictis versibus eruere cupias, subtrahe numerum literæ initiali mensis dati competentem ex 30. & residuum indicabit, quo die mensis Sol Signum mensi dato respondens ingrediatur.

Pro exemplo universali, quo in reliquis etiam Problematibus utemur, ponamus hîc Monachij (ubi Elevatio Poli communiter judicatur 48°) Solem commorari in 23°. 17′. 44″. ♌. uti factum fuit in die tam gloriosè, quàm prodigiosè in Hungaria partæ contra

Turcas Victoriæ, quæ fuit 16. Augusti anni elapsi 1717. ubi Declinatio Solis erat 13. 47. 16. In hoc igitur exemplo vocis *Gesta* Litera initialis est septima in Alphabeto; subtrahe itaque 7. ex 30. & ex residuo 23. colligere dabitur, Solem mense Augusto ingredi Signum ♍. die 23. Augusti.

Quòd si etiam gradum Signi quovis die dato scire desideres, v. g. die 16. Augusti in exemplo positâ, huic numero 16. adde 7. quia Litera initialis vocis *Gesta* est septima in Alphabeto, & habebis 23. quod indicio erit, dictæ diei 16. Augusti respondere 23. ♌. in quo Sol eo die commoratur.

In Planisphæria

Patet vel solùm inspicienti Arcus Signorum & mensium in utraque extrémitate positos, quibus mensium diebus initia & decades Signorum respondeant.

Minuta tamen hîc scrupulosiùs rimari non convenit, tum quia Instrumentorum similium angustia hoc non permittit, tum quia motus Solis in Zodiaco continuò variat; cùm

cùm enim uno die non integrum Eclipticæ gradum absolvat, sed 360. ejusdem gradibus permeandis 365. dies cum 5. horis ac 49. horæ minutis insumat, Sol ingressum suum in Signa non eodem die quotannis exactè parat, cùm ultra 365. dies in anno Solari 6. ferè horæ, ut dictum, residuæ sint, quæ singulis 4. annis integrum diem proximè conficiunt, & ideò in annis Bissextis post diem intercalarem (qui circa 24. Februarij contingit) diei mensis dato semper unus addendus. De quo sit

PROBLEMA II.

Quisnam annus Bissextilis sit, dicto citiùs enuntiare.

Ex numero anni propositi neglectis duabus primis figuris, solæ duæ ultimæ ad dexteram dividantur per 4. si nihil superfuerit, annus erit Bissextus, qualis v. g. fuit annus 1716. quia 16. per 4. divisis nihil remanet; econtrà in anno currente 1718. remanent 2. quod signum est, secundum abhinc annum nim. 20. denuò fore Bissextilem. Ratio est facilis, quia quartus quisque annus erit Bissextus, ita tamen, ut tres semper centesimi

anni, nim. 1700, 1800, 1900, usque ad quadringentesimum (qualis erit 2000, & sic deinceps) à Bissexto essent exempti.

PROBLEMA IIII.

Quotus gradus cujusvis Signi incidat in Calendas, seu initium singulorum mensium?

Ex primo Problemate constat, quoto die mensis Sol singula Signa ingrediatur; si ergò insuper sciatur, quot dies quivis mensis contineat, facile erit numerare gradus Signi usque ad I. diem sequentis mensis inclusivè. Sic enim ex dictis habetur, Solem ingredi ♍. die 23. mensis Augusti, si ergò insuper sciam, eundem mensem habere 31. dies, haud difficile erit divinare, in primum diem Septembris cadere nonum gradum ♍. Ut autem memoriter teneri possit, quot dies quivis mensis contineat, duæ potissimùm viæ suppetunt; una nim. per Versus memoriales sequentes:

Ter denos September habet, totidémque November,
Junius, Aprilis; reliquis superadditur unus.
Sit nisi Bissextus, vicenos Februus octo.

Al-

Altera via memoriter id ipsum tenendi est per digitos hoc modo. Manus sinistræ pollicem, digitum medium, & auricularem erectos tene, reliquos verò duos, nimirùm indicem & annularem intra volam manûs deprime. Dein more Astronomorum menses anni numerare incipe à Martio, eos ordine prosequendo per singulos digitos, ac denuò incipiendo à pollice, quousque numerus mensium fuerit absolutus.

Menses igitur, qui cadunt supra digitos erectos, habent 31. dies, qui verò contingunt digitos intortos seu depressos, continent dies 30. Februario excepto, qui in anno communi solùm habet 28, in Bissexto autem 29. dies.

Exinde autem incidenter eruitur

PROBLEMA IV.

Quovis tempore, quot septimanis distet dies aliquis Festus, vel Natalis, & in quam hebdomadæ diem incidat, nullo negotio memoriter supputare.

Cùm ex præcedenti Problemate constet, quot dies quivis mensis contineat, haud difficile erit numerare dies, qui à die dato usque ad Festum propositum intercedunt; hanc

enim

enim summam si dividas per 7. productum dabit hebdomadas, & residuum hebdomadæ dies.

In exemplo: hodie (v. g. die Sabbati incidente in 18. Septembris) scire cupio, quot septimanis, ac hebdomadæ diebus, adhuc distet Natalis Christi Domini, incidens in 25. diem Decembris? Numero ergò dies adhuc residuos hujus mensis Septembris, & invenio . . . . . 12.
pro Octobri . . . . . 31.
pro Novembri . . . . . 30. &
pro Decembri usque ad dictum Festum - 25.

98.

quæ summa si dividatur per 7. productum dabit 14. dico ergò: hodie post 14. septimanas erit Festum prædictum Nativitatis Domini; cùm enim ultra 14. hebdomades nullus dies remaneat, signum est, illud cadere in diem Sabbati, sicut & dies Sabbati datus erat pro initio numerationis. Quòd si ultra productum 14. hebdomadum, residui fuissent dies 1. 2. vel 3. signum fuisset, quòd dictum Nativitatis Festum caderet 1. 2. 3. diebus post diem Sabbati, adeóque in diem Solis, Lunæ vel Martis &c.

In

In Planisphærio

Licèt dicta summa etiam erui, & dies septeni in Arcu mensium à præfato 18. Septembris usque ad 25. Decembris numerari denique possint, negotium tamen istud propter indiscernibilitatem partium in similibus Instrumentis, faciliùs dicto modo, & cutiosiùs memoriter absolvitur.

PROBLEMA V.

Dato loco Solis, etiam diem mensis elicere.

Patet ex dictis in Probl. I. si enim scio, quotus gradus Signi sit hoc vel illo die mensis, hoc ipso etiam scio, quotus dies mensis congruat huic vel illi gradui Signi. Sic in nostro exemplo, sicut ad eruendum gradum Signi v. g. ♌. diei mensis 16. addidimus 7. Literæ initiali vocis *Gesta* respondentia, ita ad eruendum diem mensis à gradu Signi 23. dicta 7. subtrahenda erunt, & prodibit dies 16. mensis.

In Planisphærio

Hæc duo (dies mensium, & Signa il-

illis respondentia) juxta se posita per se illucescunt.

PROBLEMA VI.

Loco Solis, vel cuicunque dato Ecliptica puncto, punctum oppositum determinare.

Potest hoc Problema in pluribus supputationibus Astronomicis habere usum, in quovis enim Sphæræ situ, uno gradu Signi oriente, vel ascendente, aut medium cœli tenente, alter illi oppositus occidet, vel descendet, aut imum cœli occupabit. Signum autem, vel gradum Signi oppositum invenies, si à Signo dato, juxta ordinem Signorum, numeres 6. Signa; sextum enim à Signo dato (idem est de gradibus ejusdem) erit ejus oppositum. Qua in re plurimum juvare poterit, si Signa notis illis versibus: *Sunt Aries, Taurus*, &c. comprehensa sibi ordinatè superposita scribas hoc modo;

♈. ♉. ♊. ♋. ♌. ♍.
♎. ♏. ♐. ♑. ♒. ♓.

Sic enim quodvis Signum alteri sibi opposito congruet.

In Planisphærio

Facillimè invenitur ; Regula enim dato Eclipticæ puncto v. g. 20. gradui ♉. ac simul Centro Planisphærij applicata abscindet in altera Eclipticæ parte 20. gradum ♏. illi oppositum ; & sic de alijs.

PROBLEMA VII.

Altitudinem Solis , ac Stellarum quovis tempore venari, & num ante-vel pomeridiana sit, perscrutari.

Licet hoc Problema immediatè ac directè Planisphærium nostrum non concernat, quia tamen Altitudo Solis vel Stellarum ad multa Problemata inde solvenda præsupponitur , & quia Instrumentum Quadrantis non cuivis ad manus est , ideò Schema Quadrantis addito Triangulo , & Scalâ Geometrica 1000. partium , semidiametro seu Radio Planisphærij commensuratis , tam ad constructionem , quàm usum ejusdem percommodis (de quibus suo loco) specialiter addere voluimus , quatenùs Planisphærio ex altera parte , vel etiam particulari assercule pro cujusvis commoditate agglutinari queat.

at. Problema autem propositum sic solvendum est. Quadrantis penduli (qui quò major est, & quò exactiùs in suos gradus divisus, eò est melior) Centrum obverte Soli vel Stellis, eúmque tamdiu eleva, ac deprime, donec per utrumque pinnacidium vel radient, vel conspiciantur, & filum in limbo Quadrantis monstrabit altitudinem quæsitam. Eadem altitudo haberi potest, si Quadrans stabilis erigatur perpendiculariter supra Horizontem, & planum ejus dirigatur versùs Solem vel Stellas; ac Dioptra elevetur ac deprimatur, donec Sidus ejusmodi per utrumque pinnacidium vel radiet, vel videatur.

Quòd si Sol non luceat; attamen obscuram aliquam sui imaginem in nubibus relinquat; hanc per pinnacidia conspiciendam observa; & altitudinem illius prope verum invenies. Si insuper scire cupias, num altitudo Solis quæsita sit ante- vel pomeridiana, annota altitudinem priùs repertam; & post aliquod temporis intervallum eandem observationem denuò institue; & siquidem prior numerus graduum minor fuerit posteriore; certum signum esse debet, Solem Meridiem nondum esse assecutum; si verò est major, judicare poteris, Solem à

Meridie jam iterùm descendere versùs Occasum.

Ubi tamen utiliter adhuc observandum est I. Cùm Sol in pinnacidio remotiore divaricatis radijs quendam sui discum effigiare soleat, debere Quadrantem ita dirigi, ut foramen pinnacidij non marginem, sed centrum disci occupet, aliàs 15. facilè minutis aberrabis, qualium 30. circiter latitudo disci importat. Hinc etiam est II. quòd, si Sol absque pinnacidijs solummodò latus Quadrantis radere permittatur, de numero graduum observatorum 15. minuta detrahi debeant. III Hoc modo possè etiam discum Solis apparentem observari, si enim. circino distantia unius pinnacidij ab altero accipiatur, & descripto arcu latitudo disci in remotiore pinnacidio efformati in arcum transferatur; patebit enim, eam (deducta tamen foraminis amplitudine) dimidium circiter gradum occupare. IV. Notandum, refractionum etiam (quarum Tabulam inter alias ad finem Opusculi dabimus) minuta, præsertim de mane, minimè negligenda, sed de altitudine observata subtrahenda esse.

Porrò quomodò horâ diei notâ eadem Solis altitudo tam per Log.mos, quàm ex ipso

Planisphærio haberi possit, infrà dabitur dicendi locus.

PROBLEMA VIII.

Ex radijs Solis altitudinem illius meridianam indagare.

Quadrantem erige stabilem supra, & secundùm Lineam meridianam (de cujus inventione ac utilitate fusiùs egimus I. Parte c. 4. & infrà adhuc ulteriùs agemus) de reliquo operare modo suprà dicto.

PROBLEMA IX.

Maximam & minimam altitudinem Solis meridianam, quam semel in anno habet, ex radijs ejusdem cognoscere.

Aliquot diebus ante, & post utrumque Solstitium cape altitudinem Solis meridianam modo suprà dicto, & ex inventis facile erit, maximam & minimam eligere.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli datam disposito; idipsum gradus Meridiani ab utroque Tropico abscissi ad oculum monstrabunt.

PRO-

PROBLEMA X.

Altitudinem Solis meridianam ex Declinatione ejusdem cognoscere.

Declinationem Solis, quæ in nostro exemplo fuit $13^{\circ}.\ 47'.\ 16''$. in Signis Borealibus (quale etiam est ♌.) adde Complemento altitudinis Poli 42°. (in Australibus subtrahe) & invenies altitudinem Solis meridianam ibi fuisse $55^{\circ}.\ 47'.\ 16''$.

In Planisphærio

Idipsum deprehendes, si attendas, quem gradum in Meridiano Parallelus datus attingat. Vel numera ab Æquatore sursùm, datam Declinationem Solis in Signis Borealibus, in Australibus verò deorsùm.

PROBLEMA XI.

Datâ altitudine Solis meridianâ, & Declinatione ejusdem, altitudinem Poli evincere.

In Signis Borealibus (quale etiam est ♌, in

☊. in nostro exemplo subtrahe Declinationem Solis v. g. 13°. 47′. 16″. ab altitudine ejusdem meridiana 55°. 47′. 16″. in Australibus verò adde, & habebis Complementum Elevationis Poli 42°. consequenter & ipsam Poli Elevationem 48°.

In Planisphærio

In nostro exemplo ab altitudine Solis meridianâ 55°. 47′. deorsùm numera gradus Declinationis 13°.47′.&incides in dictum gradum Complementi 42. à quo si sursùm numeres gradus usque ad Zenith 90. habebis 48°. pro Elevatione Poli. Econtrà in Signis Australibus ab altitudine Solis meridiana numera Declinationem Solis sursùm,

PRO-

PROBLEMA XII.

Ex maxima & minima altitudine Solis meridiana Elevationem Poli elicere.

Sit data maxima altitudo Solis v. g. apud nos $65^{\circ}. 30'$. & minima $18^{\circ}. 30'$. Si ergò summa utriusque dimidietur, eruuntur 42°. pro altitudine Æquatoris, & per consequens pro altitudine Poli, cujus illa est Complementum, 48°. utpote qui simul constituunt 90. gr.

In Planisphærio

Per se patet, medium inter ambos Tropicos (in quibus contingit maxima & minima Solis altitudo) tenere Æquatorem. Si ergò Tropicus ♋. disponatur ad $65^{\circ}. 30'$. quæ ponitur esse maxima Solis altitudo, alter Tropicus ♑. indicabit minimam, nim.

18°. 30′. Æquator occupabit dictos 42°. Axis verò mundi 48°. seu Elevationem Poli quæsitam.

PROBLEMA XIII.

Ex altitudine Solis meridianâ Declinationem ejusdem divinare.

Ex altitudine Solis meridianâ, v. g. in nostro exemplo 55°. 47′. 16″. subtrahe in Signis Borealibus, quale est ♌. Complementum altitudinis Poli, & productum 13°. 47′. 16″. dabit Declinationem quæsitam. In Australibus verò datam Solis altitudinem, v. g. in ♑. 18°. 30′. subtrahe à Complemento Elevationis Poli, & productum dabit 23°. 30′. Declinationem scilicet, quæ inquiritur.

In Planisphærio

Ita dispositio, ut Æquator Horizonti con-

congruat, in Signis Borealibus ab Æquatore sursùm numerentur gradus usque ad Parallelum Solis datum, vel in Signis Australibus deorsùm, & apparebit, in nostro exemplo Declinationem Solis esse 13. 47′. 16″. in ♑. verò 23°. 30′.

PROBLEMA XIV.

Datâ Declinatione deprehendere etiam locum Solis in Zodiaco.

Detur Declinatio Solis 13°. 47′. Si ergò Sol est in primo Quadrante Eclipticæ Verno, qui nim. comprehendit prima 3. Signa ♈. ♉. ♊. deprehendes, Solem commorari in 7. gradu ♉. Si in secundo Quadrante Æstivo, ut in nostro exemplo, erit in 23. ♌. si in tertio Quadrante, erit in 7. gradu ♏. ac denique si in quarto, erit in 23. gradu ♒. & sic de alijs.

In Planisphærio

Ita dispositio, ut Æquator cum Horizonte coincidat, id ipsum ad oculum patebit.

PROBLEMA XV.

Datâ Horâ nostrate invenire Horam Italicam.

Prænotandum, Horas Astronomicas 24. numerari à media nocte denuò usque ad mediam noctem (alijs eas eodem modo à Meridie iterùm in Meridiem numerantibus) eásque convenire in horarum numero cum nostratibus usque ad XII. meridianam, quâ finitâ nos denuò incipimus numerare I. II. III. &c. Astronomi verò numerare pergunt XIII. XIV. XV. &c. usque ad XXIV. Unde notâ horâ nostrate haud difficile erit, scire horam Astronomicam. Itaque inventæ horæ Astronomicæ adde horam Ortûs, & habebis horam Italicam currentem.

Ponamus in nostro exemplo Solem oriri horâ V. nos verò agere horam III. pomeridianam; quæ est III. post Meridiem, adeóque XV Astronomica; addo ergò 5. ad 15. & invenio XX Italicam, & sic de alijs. Vel quia Itali ab Occasu numerant horas 24. ita ut proximè sequentes de nocte sint I. II. III. &c. numera elapsas ab Occasu, & habebis Italicam. Ubi tamen notandum est, ho-

horas hujusmodi non habere sedem fixam, sed sicut Sol modò seriùs, modò citiùs occidit, ita eas quoque seriùs aut citiùs numerationis suæ initium sumere.

In Planisphærio

Eodem modo numeratio horarum Italicarum institui potest, ita ut hora Occasûs (ubi nim. Parallelus Solis datus secat Horizontem) sit XXIV. proximè verò sequentes de nocte sint I. II. III. &c.

PROBLEMA XVI.

Horam Babilonicam reperire.

Quæ respectu Italicarum de Occasu diximus, eodem modo intelligenda sunt respectu Babilonicarum de Ortu, à quo si horas elapsas usque ad horam datam numeres, habebis horam Babilonicam currentem. Vel locò additionis in præcedente Problemate adhibitæ, utere subtractione, subtrahendo nim. horam Ortûs ab hora Astronomicâ inventâ, v. g. in priori exemplo subtrahendo 5. à 15. & invenies H. X. Babilonicam.

In Planisphærio

Eodem modo institue numerationem Babilonicarum, ita ut hora Ortûs sit XXIV. sequentes verò de die sint I. II. III. &c. sicut suprà de horis Italicis respectu Occasûs diximus.

PROBLEMA XVII.

Ex data hora Babilonica, vel Italica Nostratem colligere.

Horæ Babilonicæ datæ v. g. in priori exemplo X. adde horam Ortûs, quæ ibi ponebatur esse hora V. & habebis horam Astronomicam à media nocte XV. consequenter III. pomerid. nostratem. Ab hora Italica verò XX. in superiori exemplo, subtrahe dictam horam Ortûs, ac denuò prodibit XV. Astronomica, vel III. nostras pomeridiana.

In Planisphærio

Ab Ortu numera H. X. Babilonicam, & incides in III. nostratem. Pro Italica verò

rò ab Occasu numera horas 20. & pariter offendes III. pomerid. nostratem.

PROBLEMA XVIII.

Horas Judaicas, Antiquas, Planetarias, seu Inaequales quoad quantitatem calculare.

Cur Horæ istæ diversa hæc sortitæ sint nomina, patet ex dictis P. I. c. 4. de Meridiano. Harum numerantur 12. de die ab Ortu usque ad Occasum, ac totidem de nocte ab Occasu usque ad Ortum. Qui ergò quantitatem harum Horarum (quæ in Æstate de die sunt longiores, & tantò breviores de nocte, & econtrà in Hyeme breviores de die, & longiores de Nocte) scire desiderat, Arcum diurnum aut nocturnum in minuta horaria resolutum, in 12. vel semidiurnum in 6. partes æquales dividat, & habebit intentum. Sic in nostro exemplo prout inferiùs in Probl. XLI. videbimus, dies est longus 14. horas circiter, quæ summatim in minuta horaria resolutæ dant 840. hæc verò per 12. vel quoad Arcum semidiurnum per 6. divisa tribuunt uni horæ Inæquali seu Iudaicæ de die 70. de nocte verò 50. minuta horaria.

In

In Planisphærio

A puncto Ortûs ☉. numera 6. Horas nostrates, & sextam partem residui usque ad Meridiem adde Horæ nostrati, vel sextam partem excessûs ultra Meridiem subtrahe ab Hora communi, & habebis tali die quantitatem Horæ Inæqualis. Sic in nostro exemplo si numeras ab Hora Ortûs V. sex Horas nostrates, pervenies ad H. XI. sextam ergò partem Horæ adhuc residuæ usque ad Meridiem, nim. 10. minuta adde Horæ nostrati, & habebis 70. minuta pro una Hora Inæquali illius diei.

PROBLEMA XIX.

Datâ Horâ nostrate, resolutâ in Babilonicam vel Italicam, Judaicam assignare.

Ponamus H. III. pomerid. nostratem, quæ juxta Probl. XVI. in Babilonicam resoluta erit X. vel Italica XX. Iam fiat Regula Trium, v. g. in nostro exemplo, ubi Longitudo diei fuit circiter 14. horarum, hoc modo. Sicut

cut se habet Longitudo diei 14. H. ad 12. ita hora Babilonica v.g. 10. ad horam Judaicam inveniendam, & invenio $8\frac{8}{14}$. seu $\frac{4}{7}$. id est, H. VIII. Judaicam cum dimidia circiter. De nocte verò fiat, ut Longitudo noctis v. g. 10. hor. in eodem nostro exemplo ad 12. ita H. 8. Italica ad Judaicam, & evenient $9\frac{6}{10}$. vel $\frac{3}{5}$. id est H. 9. Judaica cum 36. minutis horarijs.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli disposito, filum promove ad punctum, ubi Parallelus Solis datus, nim. 23. ♌. in nostro exemplo, Meridianum attigerit, id est, ad gradum altitudinis Solis meridianæ 55. gr. 47. minut. ibíque granum seu gemmulam fige. Tum filum Regulæ retrahe ad punctum, ubi Parallelus Solis Arcum v. g. H. III. pomer. nostratis (seu in dato casu X. Babilonicæ) intersecat; & Æquatore ad punctum Verticale 90. collocato, filum indicabit Horam Judaicam tunc currentem, eâ tamen lege, ut H. VII incipias numerare primam, & H. VIII. secundam &c. de nocte verò primam incipias numerare H. V, &c. invenies enim, ut suprà, Horam Judaicam IX. cum

36. min. Quia tamen hic operandi Modus cum Calculo priùs adhibito non undequaque exactè concordat, ideò qui volet, poterit saltem horas ab Ortu usque ad III. v. g. pomeridianam nostratem numerare, ac de reliquo uti modo sequenti.

PROBLEMA XX.

Ex Hora nostrate, independenter à Babilonica vel Italica, Judaicam deducere.

In nostro exemplo Sol oritur H. V. consequenter ab Ortu usque ad H. III. pomer. nostratem intercedunt 10. horæ, quæ universim in minuta horaria resolutæ dant 600. minuta; hæc verò si per 70. uni Horæ Inæquali respondentia (ut ex Probl. 18. constat) dividantur, prodeunt $8\frac{4}{7}$. & per consequens, quando nos agimus H. III. pomerid. erit H. Judaica VIII. cum $\frac{4}{7}$.

In Planisphærio

Operare, ut priùs.

PRO-

PROBLEMA XXI.

Ex Judaica Nostratem colligere.

In nostro exemplo præcedente uni horæ Judaicæ respondent 70. minuta horaria; ergò 8. horæ Judaicæ cum $\frac{4}{7}$ seu 40. min. universim in minuta resolutæ dant 600 minuta, quæ divisa per 60. uni horæ Nostrati convenientia dant 10. horas, H. X. autem ab Ortu est apud nos H. III. pomeridiana.

In Planisphærio

Iuxta dicta in Problemate XIX. præcedente, granum seu gemmam fige in puncto altitudinis meridianæ 55. gr. 47. min. & Sphærâ rectificatâ, filum reduc ad punctum, ubi gemma monstrat horam VIII. Judaicam cum $\frac{4}{7}$. quo facto Planisphærium denuò dispone ad Elevationem Poli, filumque in Parallelo Solis dato, nim. 23. ♌ abscindet H. III. Nostratem.

PRO-

PROBLEMA XXII.

Vigilias Noctis Antiquorum, & Quadrantes Diei ipsis respondentes supputare.

Harum Vigiliarum frequens fit mentio in Scripturis; unde, postquàm de horis Iudaicis egimus, non inconveniens erit, eas hîc ex communi sensu Authorum paucis declarare. Antiqui ergò (Judæi præsertim) tam diem, quàm noctem in 4 partes, 3 semper horis constantes, diviserunt. Has de nocte *Vigilias*, de die verò *Horas Orationis*, vel simpliciter *Horas* appellabant, juxta illud v. g. Lucæ 12. *Si venerit*, Dominus, *in secunda Vigilia, & si in tertia Vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi &c.* I. Itaque Vigiliam noctis constituebat spatium illud primarum 3. horarum post Solis Occasum. II. Vigiliam complectebantur proximæ 3 horæ usque ad medium noctis; III. Vigilia includebat 3. horas immediatè sequentes mediam noctem; ac denique IV. Noctis Vigiliam conficiebant ultimæ tres horæ noctis ante Ortum Solis. Binum verò Galli cantum, de quo S. Marcus commemorat, quod

quod attinet, primus solet contingere circa medium noctis; alter verò ante Auroram seu Crepusculum; licèt Gesnerus etiam tertium adstruat 3. horis ante mediam noctem. Quantum ad 4. partes seu Quadrantes diei, erant eæ *Horæ precum*, Tubæ sonitu pios ad Templum convocantis, indicari solitæ; sicut Act. 3. *Petrus & Joannes ascenderunt in Templum ad Horam Orationis nonam &c.* Quilibet hujusmodi diei quadrans, sicut & Noctis, licèt 3. contineret horas, teste S. P. Aug. ser. 14. de Verbis Domini, & ipse dicebatur ab Antiquis *Hora*, primus quidem quadrans diei ab Ortu usque ad Tertiam Judaicam, seu Nonam nostratem matutinam, constituebat horam *Primam*; alter à Tertia usque ad sextam, seu Meridiem vocabatur *Tertia*; Tertius verò quadrans à Meridie seu Sextâ Judaicâ usque ad Tertiam pomeridianam nostratem à sui principio dicebatur *Sexta*; ac denique à Nona Judaica usque ad duodecimam, seu à Tertia pomeridiana nostrate usque ad Occasum erat *Hora Nona*. Totum ergò spatium 3. horarum ab uno clangore Tubæ ad alterum appellabatur *Hora* III. VI. IX. &c. Hinc quando S. Ioannes Christum crucifixum dicit quasi horâ sextâ; S. Marcus verò horâ tertiâ, teste Natali Alexandro in c. 19. Joannis, communior & verior eos reconciliandi modus est, ut dicatur, Crucifixionem contigisse,

gisse paululùm ante H. VI. seu meridiem, ut desumitur ab adjecta particula *quasi*, & consequenter adhuc intra spatium H. III. licèt finis ejusdem jam instaret, imminerétque signum Tubæ ad Horam Sextam. Quòd autem S. P. Augustinus l. 3. de Consensu Evangelistarum c. 13. dicat, Judæos H. III. Christum crucifixisse linguâ, clamoribus nim. instando, ut crucifigeretur, H. VI. verò manibus militum, ac ipso opere, licèt modus exponendi textus ad speciem dissonos Literalis non sit, ob Authoris tamen præeminentiam omnibus venerationi esse meritò debet.

Ex istis igitur, & cognitis juxta priùs dicta Horis Iudaicis, nulli difficile esse poterit, *Horas* hujusmodi Antiquorum *diurnas*, aut *Vigilias Nocturnas* supputare.

PROBLEMA XXIII.

Quantitatem Domuum Cœlestium quovis tempore divinare.

Cùm Domus Cœlestis, ut ex dictis I. parte c. 5. de Circulis Positionum constat, sit sexta pars diei, vel noctis, alio hîc opus non est, quàm ut Arcus tam diurnus, quàm no-

nocturnus in 6. partes dividatur. Cùm ergo in Problemate 18. posuerimus Arcum diurnum continere 840. minuta, hæc per 6. divisa, pro una Domo relinquunt 140. minuta horaria, adeóque tunc temporis spatium unius Domûs diurnæ complectetur 2. horas nostrates cum tertia parte unius horæ, tantóque minores tunc erunt Domus nocturnæ, cùm una eo casu plus non contineat, quàm $1\frac{2}{3}$. hor. Cæterùm quæ de Horis Inæqualibus (quarum duæ semper unam Domum constituunt) Problematibus præcedentibus diximus, facilè huc etiam applicari poterunt. Id unum hîc repeto, quòd loco suprà citato de Circulis Positionum jam insinuatum est, ordinem nim. Domuum Cœlestium esse inversum; ita ut in Ortu sit finis Domûs XII. proximus verò Circulus versùs Imum Cœli sit finis Domûs I. & initium II. & sic retrogrediendo versùs mediam noctem, ubi est initium Domus IV. hinc ad Occidentem, tanquam initium Domûs VII. inde verò versùs Medium Cœli, ubi est initium Domûs X. & hinc denuò ad Orientem, tanquàm finem Domuum Cœlestium, ut dictum.

In Planisphærio

Quantus sit Arcus diurnus, habetur ex Problemate XVIII. quota autem sit Domus, modus inveniendi traditur in Problemate sequenti.

PROBLEMA XXIV.

In quota Domo Cœlesti Sol commoretur, ex Hora Judaica dijudicare.

Datam Horam Judaicam v. g. Nonam divide per 2 & provenient $4\frac{1}{2}$. talisque erit Domus ab Ortu versùs Occasum numerata de die; de nocte verò ab Occasu versùs Ortum.

Quòd si verò insuper scire cupias, quota sit Domus juxta modum eas numerandi communem, vide, quot Domus usque ad sextam ultra inventas $4\frac{1}{2}$. supersint, seu quod idem est, inventum dimidij $4\frac{1}{2}$. subtrahe à sex, & videbis restare $1\frac{1}{2}$. has adde Occasui, seu Domui VII. & exinde apparebit, reipsa tunc esse Domum VIII. cum di-

dimidia. De nocte verò Horam Judaicam v.g. IX. dicto modo per 2. divisam subtrahe à Domo Occasûs VII. & residuum indicabit Domum II. cum dimidia.

In Planisphærio

Operatio est penitùs eadem cum operatione Problematis XIX. nisi quòd horâ sextâ numeranda sit Domus I. versùs mediam noctem, & horâ quartâ matutinâ Domus II. horâ secundâ verò noctis Domus III. ac denique horâ duodecimâ noctis IV. & sic de reliquis, ita ut horâ VI. vespertinâ veniat Domus VII. & in Meridie Domus X. &c.

Vel:

Planisphærio ad Elevationem Poli disposito filum promove ad punctum, ubi Parallelus Solis Arcum Horæ Judaicæ datæ intersecat, ibique gemmulam fige, quæ Æquatore in puncto Verticali 90. collocato, & priori Numerationis modo servato, Domum desideratam monstrabit. Factâ ergò prædictâ operatione, ac Domuum numeratione prodibit Domus quæsita, nim. octava cum dimidia.

PROBLEMA XXV.

Datâ Latitudine loci, in quoto is Climate sit, invenire.

Modum calculandi Climata dedimus suprà Parte I. c. 5. de Climatibus; qua de re consuli etiam poterit Tabula XIII. in fine Opusculi.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli datam v. g. Monacensem dispositò, numera, quot quadrantes horæ in Tropico ♋ contineantur à linea Horæ 6. usque ad punctum Ortûs, & deprehendes octo horæ quadrantes nondum completos, adeóque scies, Monachium pariter esse sub Climate 8. nondum completo.

PROBLEMA XXVI.

Cognito Climate hoc ipso scire etiam diem longissimum, & vicissim.

Vltra ea, quæ l. cit. diximus, cùm quadrans

dians horæ manè & vesperi, adeóque ante & post Sextam faciat horam dimidiam, 8. ferè quadrantes taliter dabunt 8. ferè dimidias horas, & per consequens 4. ferè horas integras, quæ si addantur ad 12. horas Æquinoctij, evenient 16. ferè horæ pro die longissimo nostrate.

In Planisphærio

Res patet ad oculum ex operatione præcedente.

PROBLEMA XXVII.

Tres Sphæræ positiones in Planisphærio facillimè exhibere.

Æquatorem pone sub puncto verticali 90. & exhibebis *Sphæram rectam*; si Axin sub eodem puncto 90. colloces, *Sphæram Parallelam*; ac denique si Axin disponas ad datum quendam gradum Elevationis Poli intermedium inter Verticem & Horizontem v. g. ad gradum 48. Elevationis nostratis *Sphæram Obliquam*, de quibus diximus Parte I. c. 4. de Horizonte.

PROBLEMA XXVIII.

Initium & finem Crepusculorum investigare.

De hac re diximus Parte I, c.4. de Horizonte, Calculum insinuabimus infrà, ubi agemus de altitudine Solis.

In Planisphærio

Filum pone 18. gradibus infra Horizontem, & intersectiones fili, & Paralleli Solis dati monstrabunt initium ac finem, & consequenter etiam durationem Crepusculorum quæsitam.

PROBLEMA XXIX.

Gradus Æquatoris in horas convertere, & vicissim.

Per calculum fit hæc conversio, computando 15. gradus pro una hora, unum gradum verò pro 4. minutis horarijs, atque adeò 15. minuta unius gradus pro uno horæ mi-

minuto, Hujus rei Tabulam invenies in fine, quæ erit XVII.

In Planisphærio

In Ascensionibus rectis numera à principio ♈. gradum datum, & Arcus horarius ibi transiens indicabit horam quæsitam. In exemplo; quære ibidem v. g. gradum 75. & invenies H. V. consequenter 75. gradus Æquatoris æquivalent 5. horis.

Quia verò sæpè contingit, ut differentia Ascensionum v. g. Solis & Lunæ superet quadrantem, vel etiam semicirculum, ideò addo sequens exemplum. *Si v. g.* peteretur, quot horas efficerent gradus 300. tunc post H. XII. perge numerare 13. 14. 15. &c. & reperies horas 20, quoties nim. 15. gradus uni horæ competentes continentur in 300.

PROBLEMA XXX.

Datâ horâ Astronomicâ, reperire gradum Ecliptica Culminantem, adeóque etiam Ascensionem rectam Medij Cœli.

Prænotandum I. *Medium Cœli, Gradum Culminantem, seu Mediationem & Culminatio-*

 nem

nem puncti Eclipticæ, vel stellæ ibidem commorantis, nihil aliud dicere, quàm punctum ejusmodi existere in Meridie.

Prænotandum II. id quod suprà Problemate 15. jam advertimus, horas Astronomicas 24. numerari etiam à Meridie in Meridiem, prout eas hîc sumere oportet.

Itaque ad Problema respondendo, Ascensioni rectæ Solis adde Horam Astronomicam datam in gradus conversam, & summa dabit Ascensionem rectam Medij Cœli. In nostro exemplo Horam Astronomicam v. g. XXI. (seu Nonam matutinam nostratem) in gradus conversam, nim. 315. adde Ascensioni rectæ $145^{\circ}\ 38'$. dabunt $460^{\circ}\ 38'$ inde verò deductis 360. (quod semper fieri debet, quando productum istos, 360°. id est, integrum Circulum excedit) remanent 100°. $38'$. quibus ex Tabula Ascensionum rectarum infrà in fine ponenda, respondere videbimus $9^{\circ}\ 46'$ ♋. proximè.

In Planisphærio

A Loco ☉. (in nostro exemplo 23. ♌.)

in Linea Ascensionis rectæ, seu Æquatore, numera Horam Astronomicam datam, nim. XXI (computando 15 gradus pro una hora) & habebis gradum Eclipticæ tunc culminantem; videlicet. 9. 46. ♋.

PROBLEMA XXXI.

Data Ascensione recta Medij Cœli, vel Gradûs Culminantis eruere Horam Astronomicam.

Ab Ascensione recta Medij Cœli, aucta 360. si necesse est, subtrahe Ascensionem rectam Solis, & residuum in horas conversum dabit Horam Astronomicam quæsitam. Sic in priori exemplo Ascensio recta Solis fuit 145° 38′ & Ascensio recta Medij Cœli 100° 38′ ab hac igitur Ascensione Medij Cœli 100° 38′ aucta 360. nim. à 460° 38′ subtrahe Ascensionem rectam Solis 145° 38′ & residuum erit 315°, qui in horas conversi dabunt Horam Astronomicam XXI. seu IX. mat. nostratem.

In

In Planisphærio

A puncto Ascensionis Rectæ Solis 145°. 38'. numera in Æquatore usque ad punctum Medij Cœli 100°. 38'. secundùm ordinem graduum, gradus interceptos, & invenies 315°. qui in horas conversi dabunt Horam Astronomicam XXI quæsitam. Vel: numera ab uno dictorum terminorum ad alterum 15. gradus, quoties potes, & invenies eundem numerum XXI.

PROBLEMA XXXII.

Dato gradu Culminante, & distantiâ Stellæ à Meridie præterito, indagare Ascensionem Rectam.

Ab Ascensione Medij Cœli, seu Culminatione Sideris, auctâ 360. gradibus, quando pro subtractione facienda necesse est, subtrahe distantiam Sideris à Meridie, & residuum erit Ascensio Recta.

Sic

Sic in nostro exemplo Culminatio juxta Probl. XXX. fuit 100. 38. Ab hac ergò aucta 360. subtrahe distantiam Solis à Meridie præterito 315. & residuum erit Ascensio Recta 145. 38.

In Planisphærio

A puncto Culminationis 100. 38. numera in Æquatore contra ordinem graduum distantiam Solis à Meridie, nim. 315. 0. & incides in gradum 145. 38. Ascensionis Rectæ quæsitæ.

PROBLEMA XXXIII.

Data Culminatione & Ascensione Rectâ Solis, determinare distantiam ejusdem à Meridie præterito.

A Culminatione data v. g. 100. 38. (aucta 360. si aliàs subtractio fieri nequit) adde-

que

quæ à summa 460°. 38′. subtrahe Ascensionem Rectam Solis 145°. 38′. & productum 315°. dabit distantiam à Meridie præterito, seu Horam Astronomicam Solis XXI.

In Planisphærio

A puncto Culminationis 100°. 38′. ut antea, numera contra ordinem graduum. Ascensionem Rectam Solis 145°. 38′. & occurrent 315°. quæ est ipsa distantia à Meridie præterito, seu Hora Astronomica XXI.

PROBLEMA XXXIV.

Data distantia alicujus Sideris à Meridie præterito, horam Noctis cognoscere.

Distantia Stellæ à Meridie præterito in Planisphærio facilè cognoscitur, si filum Regulæ promoveatur ad gradum Altitudinis Stellæ in Limbo per Quadrantem v. g. observatæ; tunc enim filum in Parallelo Stel-

læ

læ abſcindet horam, ſeu diſtantiam à Meridie, ita quidem, ut ſi Stella ſit in parte Occidentali, ipſa hora pomeridiana tunc occurrens ſit petita diſtantia; ſi verò ſit in parte Orientali, tunc horæ per filum indicatæ, addendæ ſint horæ 12. ut habeatur diſtantia à Meridie præterito.

Huic itaque diſtantiæ in gradus converſæ, adde Aſcenſionem Rectam ejusdem Stellæ, in Tabula Aſcenſionis ac Declinationis Stellarum inſigniorum in fine Opuſculi reperibilem, & habebis Culminationem; quæ ſi excedat 360. his ſubtractis reſiduum erit Culminatio.

Ab hac autem Culminatione ſi denuò ſubtrahatur Aſcenſio Recta Solis; provenient gradus, qui in horas redacti indicabunt Horam Aſtronomicam à Meridie præterito, & per conſequens ipſum tempus Noctis.

In exemplo, ſit v. g. Altitudo Lucidæ Aquilæ, per Quadrantem obſervata, 40. graduum. Filum itaque gradui 40. in Limbo applicatum in Parallelo Declinationis ejusdem Stellæ nim. 8. grad. verſùs Septentrionem abſcindet paulò plùs quàm quadrantem ſupra H. II. pomeridianam, quæ proinde juxta dicta, cùm Stella fuerit in parte Occidentali, ſimul erit Hora Aſtronomica Sideris, absque addito 12. horarum,

quæ

quæ in gradus redacta dat 35. 34. éstque ipsa Stellæ distantia à Meridie præterito.

Huic si addatur Ascensio recta Stellæ 294. dabit summam 329. 34. adeóque ipsam Culminationem. Inde verò subtractâ denuò Ascensione recta Solis 145. 38. residuum 183. 56. in horas conversum, indicabit H. XII. Noctis cum 15¾ minutis.

In Planisphærio

A dicto gradu distantiæ Stellæ à Meridie 35. 34. numera in Æquatore secundùm ordinem graduum Ascensionem rectam Stellæ 294. & incides in 329. 34. quæ erit ipsissima Culminatio.

Ab hac si ordine retrogrado numeres Ascensionem rectam Solis 145. 38. occurrent 183. 56. qui in horas conversi dabunt dictam H. XII. Noctis cum 15¾. minutis.

PRO-

PROBLEMA XXXV.

Data Altitudine Stellæ, ejúsque Azimutho à Meridie, detegere ipsam Stellam.

Habitâ exactè Lineâ meridianâ (de qua inveniendâ diximus suprà parte I. c. 4. de Meridiano, & adhuc dicemus inferiùs) facilè eruitur Azimuth, si gradus Anguli, quem radius Stellæ cum dicta Linea meridiana efformat, debitè observetur.

Jam itaque Axe Planisphærij in vertice constituto, filum applica ad Altitudinem Stellæ v. g. 40°. granum verò firma in gradu distantiæ Azimuthalis à Meridie, quæ hic observata est 48° 43′. tum Sphærâ ad Elevationem Poli reductâ, filum indicabit Parallelum Declinationis 8. graduum, atque unà distantiam horariam Stellæ à Meridie 35° 34′.

Post hæc Horam Astronomicam Solis Problemate præcedente inventam, nim. H. XII. noctis cum 15¼. min. in 183° 56′. con-

versam, adde Ascensioni rectæ Solis 145°. 38′. & summa 329°. 34′. dabit Culminationem. Ab hac summa (hîc non augendâ 360°. cùm sequens subtractio absque hac fieri possit) si subtrahas præfatam Horam Astronomicam ipsius Stellæ 35°. 34′. residuum 294°. dabit Ascensionem rectam Stellæ.

Si igitur in Tabula Ascensionis, & Declinationis Stellarum insigniorum, in fine apponendâ, investigem, cuinam Stellæ conveniat dicta Declinatio 8. graduum, & Ascensio 294. invenio & ipsam Stellam, videlicet *Lucidam Aquilæ*.

In Planisphærio

A gradu Ascensionis rectæ Solis 145°. 38′. numera in Æquatore secundùm ordinem graduum Horam Astronomicam Solis 183°. 56′. & incides in eundem gradum Culminationis 329°. 34′. à qua si retrorsùm numeres,

res, ſeu contra ordinem graduum Horam Aſtronomicam Stellæ 35°. 34′. invenies 294°. videlicet Aſcenſionem rectam Stellæ. Notà autem hac Stellæ Aſcenſione rectà, unà cum prædicta Declinatione 8. graduum, ex allegata Tabula facile erit, ſcire ipſum nomen Stellæ, ut inſinuatum eſt.

PROBLEMA XXXVI.

Data Culminatione invenire gradum Ecliptica Aſcendentem, ſeu Orientem.

Aſcenſioni rectæ Medij Cœli adde gradus 90. & ſumma (deductis 360. ſi ſuperet) dabit Aſcenſionem obliquam gradûs Eclipticæ Orientis.

Sic in priori exemplo Aſcenſio recta Medij Cœli erat 329°. 34′. huic adde 90°. & ſumma 419°. 34′. (deductis 360. quia ſuperat) nim. 59°. 34′ dabit Aſcenſionem obliquam gradûs Aſcendentis. Cum his ergò ingredere Tabulas Aſcenſionis obliquæ & reperi-

es gradum Eclipticæ Ascendentem 28°. 34′. ♊. cujus punctum oppositum est gradus Descendens seu Occidens nim. 28°. 34′. ♐. prout jam suprà Probl. 6. advertimus.

In nostro exemplo de Sole distante à Meridie 45°. versùs Ortum, utpote H. 9. matutinâ, Ascensio Medij Cœli, juxta Probl. 30. erat 100°. 38′. quibus si addantur gradus 90. summa dabit 190. 38′ pro Ascensione obliqua gradûs Eclipticæ Orientis, qui ex Tabula prædicta Ascensionis Obliquæ inveniuntur esse ♎. 7°. 49′.

In Planisphærio

Ab Ascensione Recta Medij Cœli 329°. 34′. numera antrorsùm secundùm ordinem graduum Æquatoris 90°. & occurrent dicti 59°. 34′. de reliquo consule Tabulam Ascensionum obliquarum, ut dictum. Idem cum pro-

proportione observandum est in altero exemplo Solis.

PROBLEMA XXXVII.

Data Ascensione obliqua Stellæ, & Solis, indagare horam Ortûs Stellæ.

Ponamus Stellam vel Planetam versari in $28^{\circ}.\ 34'$. ♊. Solem verò in $23^{\circ}.\ 17'$. ♌. Ex Tabula igitur excerpe Ascensionem obliquam utriusque, & inde sume differentiam, quæ in horas conversa dabit distantiam horariam utriusque Sideris, ita ut, si Ascensio obliqua Solis sit major, indicio sit, quòd Stella tot horis antecedat Ortum Solis, si verò sit minor, Stella tot horis suum Ortum retardet.

In exemplo priori Ascensio obliqua Stellæ fuit $59^{\circ}.\ 34'$. Ascensio Solis verò obliqua (ut infra ex instituto videbimus) in nostro exemplo est $129^{\circ}.\ 49'$. harum differentia $70^{\circ}.\ 15'$. in horas resoluta dat 4. horas, & 41. minuta horaria. Dum ergò Solis Ascensio

sit tantò major, etiam Stella vel Planeta totidem horis Ortum suum præ Sole anticipabit; secùs si esset minor.

In Planisphærio

Ab Ascensione obliqua majore v. g. Solis in dato exemplo 129°. 49'. numera retrorsum contra ordinem graduum, gradus Ascensionis obliquæ Stellæ vel Planetæ, nim. 59°. 34'. & incides in dictam differentiam 70°. 15'. quæ important 4. horas cum 41. minutis horarijs.

PROBLEMA XXXVIII.

Dato puncto Eclipticæ Oriente reperire Gradum Nonagesimum.

Per gradum *Nonagesimum* hîc intelligitur summum punctum Eclipticæ, tunc temporis in Cœlo dictum, cujus notitia ad Eclipses Solares calculandas præcipuè necessaria est. Cùm enim dimidia pars Eclipticæ semper sit supra, & dimidia infra Horizontem, ideò

ideò punctum medium Arcûs inter utramque Horizontis intersectionem dicitur *Gradus Nonagesimus*, quia dividit Arcum Eclipticæ supra Horizontem existentem in duos quadrantes.

Itaque à puncto Eclipticæ Oriente subtrahe 90. gradus seu 3. Signa, & habebis Gradum Nonagesimum quæsitum. Sic in priori exemplo punctum Oriens sit 28°. 34′. ♊. inde subtractis 90. gradibus, vel 3. Signis provenit Gradus Nonagesimus, nim. 28°. 34′. ♓.

Pro nostro exemplo de Sole, ubi punctum Oriens erat juxta Problema 36. 7°. 49′. ♎. à quibus si subtrahantur, vel retrò numerentur 3. Signa, remanent 7°. 49′. ♋. pro Gradu Nonagesimo.

In Planisphærio

A dicto puncto Oriente nim. 28°. 34′. ♊. retrò numera 3. Signa integra, & deprehen-

des Gradum Nonagesimum esse 28. 34. ♓. Idem est in nostro exemplo de Sole, ubi prodibunt 7. gradus & 49. min. ♋. pro Gradu Nonagesimo.

PROBLEMA XXXIX.

Distantiam Nonagesimi à Medio Cælo inquirere.

Cùm Punctum Oriens & Occidens Eclipticæ propter obliquitatem ejusdem non semper, sed in solis Æquinoctijs ac Solstitijs à Meridiano æquidistent, evidens est, punctum medium inter utrumque, adeóque Gradum Nonagesimum exceptis præfatis punctis Solstitialibus, & Æquinoctialibus, nunquam coincidere cum Meridiano, sed ab eodem suam habere distantiam, quæ proinde hîc indagatur. Ex quo etiam patet, hunc Gradum Nonagesimum, exceptis dictis 4. punctis Cardinalibus, semper esse à gradu Eclipticæ Culminante utpote in Meridie constituto, diversum.

Denique etiam hîc notandum occurrit, quòd Gradus Nonagesimus existente Culminatione in Signis Ascendentibus, nim. à ♑. usque ad ♋. semper sit in parte Orien-

ta-

tali, in Occidentali verò in Signis Descendentibus à ♋. usque ad ♑.

Jam itaque ad resolutionem Problematis veniendo, Gradus Nonagesimus subtrahendus est à gradu Culminante vel vicissim.

Modus autem faciendi dictam subtractionem Astronomis valdè familiaris, & in Tabulis sæpiùs adhiberi solitus, suum cuivis Signo numerum tribuit, ut sequitur.

♈	♉	♊	♋	♌	♍	♎	♏	♐	♑	♒	♓
0.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.
12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19	20.	21.	22.	23.

quòd si subtractio aliter fieri nequeat, numera 12. 13. 14. 15. &c. augendo nim. priorem numerum semper 12. ac mutando 2. in 14. & 6. in 18. &c. ut in præsenti videre est. Ut ergò v. g. in priori exemplo fiat dicta subtractio graduum ♒. 27°. 21′. à gradibus datis ♓. 28°. 34′. ponunt Signa, gradus, & minuta hoc modo:

	S.	°	′	
quia Pisces habent numerum 11. —	11.	28.	34.	
& quia Aquario competit 10. —	10.	27.	21.	quæ subtracta ab invicem dant
	1.	1.	13.	

id est, unum Signum, 1. gradum cum 13. minutis, seu resolvendo Signum in gradus, 31°. 13′. pro distantia

 scil.

fcil. Gradûs Nonagesimi à Medio Cœli, & sic de alijs.

Quòd si contingat, uti sæpè fieri potest, ut Signum posterius subtrahendum sit à Signo priori, ut in exemplo Signum Piscium 11. cum suis gradibus à Signo Aquarij 10. tunc loco numeri 10. ponitur inferior illi respondens numerus major 22. hac ratione

S.	°	′
22.	27.	21.
11.	28.	34.
10.	28.	47.

si verò gradus inferior à superiori subtrahi nequeat, mutuandi sunt à Signo priore 30. gradus, & habebitur differentia major, seu complementi; unde supputatio erit talis:

10. Signa 28°. 47′. seu 328°. 47′.

In Planisphærio

Numera distantiam graduum unius Signi dati à gradibus alterius, & habebis intentum.

PRO-

PROBLEMA XL.
Distantiam Solis à Nonagesimo assignare.

Gradum Solis in Ecliptica dicto modo subtrahe à Gradu Nonagesimo, & productum erit distantia quæsita, quæ hîc, uti & priùs, accipienda est proxima, subtrahendo nimirùm Signum proximè anterius à posteriori, & addendo 12. si hoc subtractio facienda requirit. Sic locus Solis in nostro exemplo fuit 23° 17′ ♌. Nonagesimus verò 7° 49′ ♋. Staret itaque exemplum hoc modo:

S.	°	′
4.	23.	17.
3. —	7.	49.
1.	15.	28.

seu 45° 28′ pro distantia Solis à Nonagesimo.

Ubi adhuc notandum venit, quòd, si Sol respectu Gradûs Nonagesimi est in Signo anteriori, ut in exemplo primùm posito, distantia illius ab isto fit in Hemisphærio Orientali, secùs verò in Occidentali.

In Planisphærio

Eadem distantia facilè habetur, sicut in Problemate præcedenti.

Hucusque proposuimus Problemata operationes merè simplices requirentia, & ex solo Planisphærio, vel communi calculo resolvenda; nunc autem subjungemus alia, tam per Logarithmos, quàm diversam Planisphærij applicationem non minùs curiosè ac jucundè, quàm utiliter expedienda, ac tandem ex principijs Trigonometricis etiam demonstranda.

Ubi tamen ultra ea, quæ in præcedentibus hinc inde jam advertimus, observandum adhuc venit, Vocabula communiter occurrentia in sequentibus non integrè exprimi, sed literis tantùm initialibus indicari, v. g.

Locò: *Logarithmus Sinûs*	ponitur.	L. S.
Logarithmus Tangentis		L. T.
Sinus Totus		S. T.
Complementum Altitudinis Poli		C. A. P.
Complementum Declinationis Solis		C. D. ⊙.
Complementum Arithmeticum		C. Arith.
Inventum primum vel secundum,		Inv. I. II. &c.

Et hoc quidem, tum ne hujusmodi vocabu-

bula millies redeuntia continuò integrè poni debeant; tum etiam, & vel maximè, ut sufficiens suppetat spatium, Numeros ac Logarithmos ordinatè scribendi, sibique invicem debitè supponendi.

Ob eandem rationem locò particulæ *addantur*, solummodò ponimus signum conjunctivum utriusque numeri addendi (& locò vocabuli *subtrahatur*, præponimus numero subtrahendo signum defectivum —.

Denique si alicui Logarithmo Sinus Totus addendus est, præfigimus illi unitatem ad sinistram, interposito puncto ; si verò subtrahendus, unitatem præfixam lineolâ transversâ delemus ⁎. quæ omnia ex sequentibus ipso usu & inspectione clarescent.

PROBLEMA XLI.

Distantiam Solis Orientis ab H.6. ex Declinatione ejusdem, & Altitudine Poli deducere.

Præmitto hoc Problema, quia ab isto multorum aliorum resolutio dependet. Itaque

Log. Tang. Alt. Poli, & Log. Tang. Declin. ☉. addantur, & à summa subtrahatur Sinus Totus (abijciendo primam unita-

ratem ad sinistram, uti superiùs diximus fol. 213.) & residuum erit Log. Sinûs Dist. ☉. ab H. 6.

Sic in nostro exemplo ponitur Altitudo Poli 48. gr. Declinatio ☉. verò 13° 47′ 16″. adeóque

L. T. A. P. (100455626. &
L. T. D. ☉. (93898699.

S. T. 194354325.
& residuum erit L. S. Dist. ☉. ab H. 6. nim. 15° 48′ 56″.

In Planisphærio

Ad Alt. Poli dispositô, ita invenitur, Filo Regulæ ad Horizontem applicato à puncto Ortûs Solis (ubi scilicet Parallelus ☉. 23. gr. 17. min. ♌. Horizontem intersecat.) descende in Linea Arcui Horario parallelâ usque ad Æquatorem, & incides in dictos 15. gr. 49. min. proximè, eos à linea H. 6. seu Centro Planisphærij in Æquatore numerando, quanta nim. est Distantia ☉. ab H. 6. quæsita.

PRO-

PROBLEMA XLII.

Horam Ortûs & Occasûs ☉. investigare.

Dicta ☉. Distantia ab H. 6. nim. 15. 48. 56. in tempus conversa (computando 15. gr. pro una hora, & unum gradum pro 4. min. horarijs) dabit 1. horam & $3\frac{1}{4}$. minuta, quæ in Signis Borealibus, quale est ♌. subtracta ab H. 6. (in Australibus verò addita) indicant Horam Ortûs nim $3\frac{1}{4}$. min. ante H. 5. & ex opposito H. 7. cum $3\frac{1}{4}$. min. pro Occasu.

In Planisphærio

Ubi Parallelus ☉. datus v. g. in nostro exemplo 23. gr. ♌. Horizontem intersecat, Arcus Horarius proximus monstrabit Horam Ortûs & Occasûs, vel quadrantem illius, ut suprà.

PRO-

PROBLEMA XLIII.

Arcum Semidiurnum, atque etiam Longitudinem Dierum & Noctium supputare.

Spatium inter Ortum & Meridiem, vel inter Occasum & mediam Noctem, dat Arcum Semidiurnum vel Seminocturnum, duplum verò illius Longitudinem Diei ac Noctis. Sic in nostro exemplo Arcus Semidiurnus erit 7. hor. $3\frac{1}{4}$. min. Seminocturnus verò $3\frac{1}{4}$. min. minor quàm 5. hor adeóque Longitudo Diei 14. hor. cum. $6\frac{1}{2}$. min. Noctis verò totidem minutis minor quàm 10. hor. seu 9. hor. cum $53\frac{1}{2}$, min.

In Planisphærio

Haud difficile erit à Puncto Ortûs (vel Occasûs (ubi nim. Parallelus ☉. datus Horizontem intersecat) usque ad Meridiem vel mediam Noctem numerare horas & minuta pro Arcu Semi-diurno, vel Nocturno, cuius duplum, ut diximus, dabit Longitudinem Diei ac noctis.

PRO-

PROBLEMA XLIV.

Differentiam Ascensionalem assignare.

De hac diximus I. Parte fol. 137. semperque coincidit cum Dist. ☉ Orientis ab H. 6. quam in Probl. 41. invenimus 15. gr. 49. min. seu 1. hor. cum $3\frac{1}{4}$. min. de qua proinde in Planisphærio invenienda jam ibidem etiam diximus.

PROBLEMA XLV.

Ascensionem rectam ☉ ex Distantia ejusdem ab Æquinoctio proximo, & Declinatione maxima calculare.

Log. Tang. Dist. ☉ ab Æquinoctio proximo, & Log. Sinûs Complementi Declinationis maximæ addantur & inde subtrahatur Sinus Totus, eritque residuum Log. Tang. Ascensionis rectæ.

Sic in nostro exemplo Dist. ☉ ab Æquin. proximo, prout in Probl. 48. ex instituto vi-

debimus, est 36° 42' 16". Complementum verò Declin. maximæ 66. gr. 30. min. Itaque

L. T. Dist. ab Æq. prox.	98724463. &
L. S. C. D. maximæ	99623978.
S. T.	98348441.

& residuum erit L. T. Ascens. Rectæ, nim. unà cum minutis prim. & sec. computatæ 34° 21' 32".

Quoniam verò Ascensiones Rectæ numerantur 360. numerationis initium faciendo à Puncto ♈. eámque continuando per omnes 4. Eclipticæ Quadrantes, ideò benè observandum est, in quonam Quadrante sit Signum vel Locus ☉. Primus enim Quadrans est Vernus complectens prima tria Signa ♈. ♉ ♊. Alter Æstivus cum Signis ♋. ♌. ♍. Tertius Autumnalis continens ♎. ♏. ♐. & quartus Hyemalis cum ultimis 3. Signis ♑. ♒. ♓. Si ergò Locus ☉ est in primo Quadrante Eclipticæ, productum dictæ subtractionis est ipsissima Ascensio Recta. Si verò Locus ☉ est in secundo Quadrante, sicut in nostro exemplo, tunc memoratum productum 34° 21' 32".

subtrahendum erit à Semi-Circulo, seu 180. gr. & remanebunt pro Ascensione Recta quaesita 145° 38′ 28″ proximè. Si autem ☉ est in tertio Quadrante, tunc productum addendum erit Semi-Circulo, ac denique in quarto subtrahendum à toto Circulo, seu 360. gr.

Quòd verò in Tabula Ascensionum Rectarum pro gradu 23. ♌. Ascensio recta solùm inveniatur 145. gr. 21. min. nos autem ponamus 145° 38′ 28″. inde provenit, quòd ☉ in nostro exemplo non occupet praecisè 23. gr. ♌. sed insuper 17 prim. & 44. secunda minuta, de quibus inveniendis diximus suprà fol. 195. quae proinde differentia minutorum & Logarithmorum, in Tabula non reperibilium, saepiùs imposterùm consideranda erit.

In Planisphaerio

Idem invenies, si in Ecliptica quaeras Locum ☉ datum v. g. 23. gr. ♌. & in Linea Arcui horario parallela descendas ad Aequatorem; occurrent enim iidem 145. gr.

 38.

38 min. prout jam suprà fol. 137. & seq. insinuavimus.

PROBLEMA XLVI.

Eandem Ascensionem Rectam ex Declinatione ☉ data, & Declinatione maxima statuere.

Compl. Declin. maximæ est 66. gr. 30. min.

	° ′ ″	
Declin. ☉. data	13 47. 16.	
L T C D. maximæ	10361698I. &	
L. T. D. datæ	93898699.	
S. T.	I.97515680.	

& residuum erit L. S. Ascens. Rectæ nim. c ′ ″ 34. 21. 32. quæ dicto modo à 180. subtracta, dant veram Ascensionem Rectam, videlicet ° ′ ″ 145. 38. 28.

In Planisphærio

Præter modum in præc. Problemate insinuatum, colloca Æquatorem in Horizonte, Filum verò applica ad gradum Declin. da-

datæ in Limbo, nim. 13. gr. 47. min. & à puncto, in quo secuerit Eclipticam, descende, ut priùs, in Linea Arcui horario parallela ad Æquatorem, & incides in dictum gradum 145. cum 38. min.

PROBLEMA XLVII.

Ascensionem Obliquam venari.

Distantiam ☉ Orientis ab H. 6 (quam Probl. 41. invenimus 15°. 48′. 56″ & semper coincidere diximus cum Differentia Ascensionali) in Signis quidem Borealibus subtrahe, in Australibus adde Asc. R. & habebis Ascensionem ☉ obliquam, videlicet 129°. 49′. 32″.

In Planisphærio

A gradu Ascensionis Rectæ 145°. 38′ 28″. numera in Signis Borealibus retrorsum (in Australibus verò antrorsùm) gradus Dist. ☉ ab H. 6. nim. 15. gr. 49. min & occurrent denuò dicti 129. gr. 49. min.

PROBLEMA XLIIX.

Longitudinem ☉ ab Æquatore, seu Distantiam ab Æquinoctio proximo ex Declinatione illius currente, & Declinatione maxima deducere.

Declinatio ☉ data est 13. 47. 16. Declin. maxima verò 23. gr. 30. min. Jam

L. S. D. ☉ datæ. & S. T.	1. 9377.1738.
L. S. D. Max.	- 96006997.
	97764741.

qui erit L. S. Dist. ☉ ab Æquin. prox. nim. 36. 42. 16.

In Planisphærio

Præterquàm quòd facilè numerari possint Gradus à loco ☉ usque ad ♈. vel ♎. dispone Axin ad gradum Declin. Max. 23 gr. 30. min. in Limbo, filum verò ad gradum Declin. datæ ibidem, scil. 13. gr. 47. min.

&

& istud in linea Axis à Centro monstrabit dictum gradum 36, cum 42. min. Dist. ☉ quæsitæ.

PROBLEMA XLIX.

Eandem Distantiam ab Æquinoctio ex Ascensione recta, & Declinatione maxima colligere.

	o / //	
Ascensio recta	145. 38. 28	Declin. max.
23. gr. 30. min.		
L. T. Ascens. rectæ,& S. T.		1. 98348441.
L. S. C. D. maximæ		— 99623978.
		98724463.
		o / //
erit L. T. Distantiæ quæsitæ nim.		36.42.16.

In Planisphærio

In Æquatore à gradu Ascensionis rectæ
o / //
145. 38. 28. perge secundùm lineam Arcui horario parallelam usque ad Eclipticam, & ab illo puncto Eclipticæ numera gradus us-

que ad Æquinoctium proximum, & reperies dictos 36. gr. 42. min.

PROBLEMA L.

Eandem ☉ Longitudinem, seu Distantiam ab Æquin. proximo, ex Amplitudine data, & Amplitudine maxima evincere.

In nostro exemplo Amplitudo Ortiva (de qua in Probl. 52.) est 20°. 51′. 56″. Amplitudo maxima verò 36°. 34′. 42″. proximè. Jam
L. S. Amplit. datæ, & S. T. 1.95516629.
L. S. Amplit. maximæ — 97751888.

9776474 1.

eritque hoc residuum L. S. Dist. ☉ quæsitæ, nim. 36°. 42′. 16″.

In Planisphærio

Axim dispone in Limbo ad gradum Amplit. maximæ 36°. 34′. 42″. & in eodem Limbo filum applica ad gradum Amplit. datæ

tæ 20°. 51′. 56″. & istud in linea Axis à Centro indicabit Distan. ☉ quæsitam, scil. 36°. 42′. 16″.

PROBLEMA LI.

Amplitudinem Ortivam maximam ex Dist. ☉ ab Æquinoctio & Amplitudine Ortiva data perscrutari.

Dist. ab Æquinoctio in nostro casu est 36°. 42′. 16″. Amplitudo data verò 20°. 51′. 56″. Jam

S. T. & L. S. Amplit. datæ	1. 95516629.
L. S. Dist. ab Æquin. prox.	— 97764741.
	97751888.

qui est L. S. Amplit. maximæ nim. 36°. 34′. 42″. proximè.

In Planisphærio

Filum applica ad grad. Amplit. datæ 20 gr. 52. min. Axin verò tamdiu hinc inde verte, quousque filum in eo abscindat gra-

dum Distantiæ ☉ ab Æquinoctio 36. gr. 42. min à Centro, & Axis in limbo denotabit gradum Amplit. maximæ prædictum
° ′ ″
36 34 42.

PROBLEMA LII.

Amplitudinem Ortivam currentem ex Amplit. maxima, & Distantiâ ☉ ab Æquinoctio quovis tempore deducere.

Amplitudo maxima in nostro exemplo
° ′ ″
est 36. 34. 42. Distantia ☉ ab Æquinoctio
° ′ ″
36. 42. 16. Itaque

L. S. Amplit maximæ	97751888. &
L. S. Dist. ☉ ab Æquin.	9776 : 741.
S. T.	1. 95516629.

remanet L. S. Amplit. quæsitæ, nim.
° ′ ″
20. 51. 56.

In Planisphærio

Axim eleva ad gradum Amplit. maximæ in

in limbo 36°. 34′. 42″. filum verò promove ad gradum Dist. ⊙ ab Æquinoctio 36°. 42′. in linea Axis à Centro, & hoc monstrabit in limbo gradum Amplit. datæ 20°. 52′. proximè.

PROBLEMA LIII.

Eandem Amplitudinem Ortivam ex Declinatione ⊙ & Complemento Altitudinis Poli eruere.

Declinatio ⊙ est in nostro exemplo 13°. 47′. 16″. Itaque

S. T. & L. S. D. ⊙	1, 93771738.
L. S. C. A. P.	— 98255109.
	95516629.

qui est L. S. Amplit. quæsitæ, videl. 20°. 51′. 56″.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli disposito sume Circino

cii:o Distantiam à Centro usque ad punctum Ortûs, atque hanc ex eodem Centro transfer in lineam Æquatoris, & abscindes ibidem dictos 20. gr. & 52. min. à Centro computatos.

Vel

Filum dispone ad Horizontem gran. verò fige ad punctum Ortûs, & Axe Horizonti applicato, granum ibidem denotabit gradum Amplit. quæsitæ, nim. 20. gr. 52. min.

PROBLEMA LIV.

Declinationem ☉ ex Amplitudine data, & Complemento Altitudinis Poli deducere.

Amplitudo data fuit 20. 51. 56. (° ′ ″) Complementum Altitudinis Poli verò supponitur hic 42. gr. Itaque

L. S. C. A. P.	98255109. &
L. S. Amplit. ortivæ	95516629.
S. T.	+ 93771738.

residuum erit L. S. Declin. quæsitæ, videl. 13 47. 16. (° ′ ″)

In

In Planisphærio

Axis disponatur ad gradum Amplit. datæ 20. gr. 52. min. proximè, filum autem applica Complemento Elevationis Poli 42. gr. in linea Axis à Centro; & istud in limbo monstrabit Declinationem quæsitam; scil. 13. gr. 47. min.

PROBLEMA LV.

Eandem declinat. ☉ *datam ex Declin. maxima, & distantia ab Æquinoctio proximo reperire.*

Declinatio maxima fuit 23. gr. 30. min.

		o / //
Distantia verò ☉ ab Æquinoctio		36. 42. 16.
Jam		
L. S. Dist. ☉. ab Æquinoctio	(	9·764741. &
L. S. D. maximæ		96006997.
S. T.		1. 93771738.
		o / //
residuum dabit L. S. D. quæsitæ,		13. 47. 16.

In Planisphærio

Axin pone ad gradum Dist. ☉ ab Æquinoctio

ctio 36°. 42′. in limbo, filum verò promove ad Declinationem maximam 23. gr. 30. min. in Axe à Centro, filúmque in limbo dabit gradum Declinationis quæsitæ 13°. 47′.

PROBLEMA LVI.

Declinationem ☉ currentem ex Complemento Declin. maximæ, & Ascensione recta detegere.

Ascensionem rectam superiùs vidimus esse 145°. 38′. 28″. Complementum verò Declin. maximæ est 66. gr. 30. min. Igitur

L. S Ascens. rectæ & S. T.	1. 97515680.
L. T. C. D. maximæ	— 1. 03616981.
& residuum hoc erit L. T. D. ☉	93898699.

videl. 13°. 47′. 16″.

In Planisphærio

A gradu Ascens. rectæ 145. 38. min. in linea Arcui horario parallelâ in Signis Borealibus ascende, in Australibus verò descende

de usque ad Eclipticam, & Paralelus ibidem transiens indicabit dictam Declinationem 13. gr. 47. min.

PROBLEMA LVII.

Prædictam Declinationem ⊙ ex Declin. maxima, & Angulo Eclipticæ cum Meridiano desumere.

Angulum Eclipticæ cum Meridiano supponimus hîc esse 70° 46′ 53″. Declinationem verò maximam novimus esse 23. gr. 30. min. & consequenter Complementum illius 66. gr. 30. min. Jam.

S. T. & L. S. C. D. maximæ	1	99623978.
L. S. Ang. Eclipt. cumMerid		99750958.
		99873020.

qui erit L. S. C. D. quæsitæ 76° 12′ 44″.

In Planisphærio

Axin colloca in Limbo ad Angulum Eclipt. cum Meridiano 70. gr. 47. min. proximè, filum verò promove ad Complementum

tum maximæ Declin. 66. gr. 30. min. pariter in limbo, filúmque in Axi denotabit Complementum Declinationis 76. gr. 13. min. proximè.

PROBLEMA LVIII.

Eandem Declinationem ex hora Ortûs, & Elevatione Poli invenire.

Hora Ortûs, seu Distantia ☉ Orientis ab H. 6. erat 15°. 48′. 56″. Elevatio Poli verò supponitur esse 48. gr. Itaque

S. T. & L. S. Dist. ☉. Orientis ab H. 6.	1.94354325.
L. T. A. P.	— 1.00455626.
	93898699.

& residuum istud erit L. T. Declin. quæsitæ, 13°. 47′. 16″.

In Planisphærio

Axe ad Elevationem Poli disposito, filum applica Horizonti, & Parallelus transiens per pun-

punctum Ortûs indicabit Declinationem 13. gr. 47. min.

PROBLEMA LIX.

Sæpè dictam Declinationem ex data Altidudine H. 6. & Elevatione Poli investigare.

Altitudo H. 6. supponitur hîc esse 10° 12′ 5″. Elev. Poli 48. gr. Nunc igitur

S. T. & L. S. Alt. ☉ H. 6.	1. 92482473.
L. S. A. P.	— 98710735.
	9377 1738.

qui est ipsissimus L. S. D. quæsitæ, ut suprà.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli 48. gr. constituto, filum promove ad gradum Altitudinis H. 6. nim 10. gr. 12. min. & linea Axis à Centro indicabit gradum Declinationis 13 cum 47. min.

PROBLEMA LX.

Rursùs eandem Declinationem ⊙ ex Altitudine ejusdem in Circulo Verticali & Altitudine Poli inferre.

Altitudo ⊙ in Circulo Verticali suppo-
nitur hìc 18° 42′ 19″. Altitudo Poli 48. gr.
Jam

L. S.Alt. ⊙ in Circulo Verticali	9.5061003.
& L. S. A. P.	9.87107351
S. T.	2. 93771738.

& Residuum erit L. S. D. quæsitæ 13° 47′ 16″.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli dispositio, filum applica Altitudini ⊙ in Circulo Vertica-
li 18° 42′ 19″ in linea Axis à Centro, filúmque notabit in Limbo Declinationem ⊙ ut suprà.

PRO-

PROBLEMA LXI.

Complementum Declinationis ☉ ex Complemento Altitudinis ☉ Distantia hujus à Meridie, & Azimuth à Meridie cognoscere.

Pro exemplo ponimus H. 9. matutinam, uti ex infrà dicendis hîc supponimus, Altitudinem ☉ in nostro exemplo esse 39°. 32'. 24''. consequenter Complementum illius 50°. 27'. 36''. Distantiam verò ☉ à Meridie 45. gr. & Azimuth à Meridie 62°. 56'. 10''. His positis

L. S. Azimuth à Meridie	99496310. &
L. S. C. Alt. ☉	98871560.
	1.98367870.
L. S. Dist. ☉ à Meridie	—98494850.
	99873020.

Productum dat L. S. C. Declin. nim. 76°. 12'. 44''.

In Planisphærio

Filum applica Distantiæ ☉ à Meridie in Limbo, nim. 45. gr. H. 9. Axim verò verte, quousque secetur à filo in gradu Complementi Alt. ☉ à Centro, nim. 50° 27′ 36″. tum filum promove ad gradum Azimuth in Limbo 62° 56′ 7″. & filum dabit Complementum Declinationis in linea Axis à Centro, ut suprà.

PROBLEMA LXII.

Declinationem ☉ ex data ejusdem Distantia ab H. 6. ipsius Altitudine, & Complemento Elevationis Poli invenire.

In nostro exemplo H. 9. Distantia prædicta est 45. gr. Altitudo ☉ 39° 32′ 24″. & Complementum Elevationis Poli 42. gr. Itaque

L. S. Dist. ☉ ab H. 6.	98494850. &
L. T. C. A. P.	99544374.
S. T.	*. 98039224.

& residuum erit L. T. Inv. I. ad operationem intentam necessarij, nim. 32° 29′ 3″. Dem

L.

L. S. C. Inv. I.	99261055. &
L. S. A. ☉	98038831.
	1. 97299886.
L. S. A. P.	— 98710735.
	98589151.

erítque hoc productum L. S. Inv. II. nim. 46°. 16′. 19″. Si ergò numerus graduum Inv. I. subtrahatur à numero Inv. II. vel viciſſim (minor ſcilicet à majore) habentur gradus Declinationis hoc modo:

°	′	″
46.	16.	19.
32.	29.	3.
13.	74.	16.

& hoc quidem procedit, ſi ☉ jam eſt ſupra H. 6. ſi verò adhuc eſt infra eandem, tunc gradus utriusque Inventi ad ſe invicem addendi ſunt.

In Planiſphærio

Ad Elevationem Poli diſpoſito, filum ad gradum Alt. ☉ applicatum in puncto, ubi ſecat Arcum Horarium datum, v. g. H. 9. indicabit Parallelum ☉ videl. 23. gr. ♌.

quod adeò clarum est, ut ulteriori exemplo non egeat.

PROBLEMA LXIII.

Complementum Declinationis ex Azimuth à Meridie, Elevatione Poli, ac Hora diei assignare.

Azimuth à Meridie est 62. 56. 71. Elevatio Poli 48. gr. Distantia ☉ à meridie H. 9. 45. gr. Igitur

L. T. Azim. à Meridie	(	1029161. &
L. S. A. P.		987107.
		2016268.

S. T. subtrahatur, abijciendo nim. à primo numero ad sinistram unam unitatem, hoc modo: 1016268. hócque residuum dabit L. T. Inv. I. videl. 55. gr. 29. min. Ab his subtrahe Distantiam ☉ à Meridie, vel vicissim, Sic:

	°	′
	55.	29.
	45.	0.
remanent	10.	29. pro Inv. II.

Jam

L.

L. S. Inv. I. 991590. &
L. T. C. A. P. 995443.

1.987033.
L. S. Inv. II. — 925995.

1.061038.

qui erit L. T. C. D. quæsitæ, scil. 76. gr. 13. min. neglectis minutis secundis.

In Planisphærio

Licet facilius Declinatio ☉ haberi possit ex præcedentibus Principijs, ut tamen Planisphærij universalitas & utilitas adhuc magis pateat, ex fundamentis quoque in Probl. positis erui poterit modo sequenti, qui ad plura alia similiter solvenda servire poterit.

Axin pone ad Azimuth à Meridie 62. gr. 56. min. in limbo, filum verò ad Compl. Elevationis Poli 42. gr. in Axi à Centro. Axin remove ad punctum fili in limbo scil ad 37. gr. filum autem deprime infra Horizontem ad Azimuth ab Ortu (quod est Complementum Azim. à Meridie) nim 27. gr. in limbo, & filum in Æquatore ab extremitate dat Inv. I. 55. gr 29. min.

Dein ab hoc gradu Inv I. 55. gr. 29. min. numera in Æquatore retrorsùm Distanti-

tiam ab H. 6. 45. gr. & habebis Differentiam utriusque seu Inventum II. 10. gr. 29. min.

His positis filum pone infra Horizontem ad hos gradus immediatè inventos in Æquatore ab extremitate, Æquatorem verò colloca ad punctum fili in limbo, & filum eleva supra Horizontem ad punctum 37. in Limbo, ubi prius positus fuit Axis; & filum in Axi à Centro notabit Complementum Declinationis 76. gr. 13. min.

PROBLEMA LXIV.

Eandem Declinationem datam ex Azimuth ab Oriente, Complemento Alt. ☉ & Compl. Elevationis Poli indagare.

Azimuth ab Oriente est 27. gr. 4. min. Complementum Alt. ☉ 50. gr. & 28. min. proximiùs, Compl. Elevationis Poli 42. gr. Itaque

L. S. Azim. ab Oriente	965803. &
L T. C. A. P.	995443
S T.	1.961246.

eritque residuum L. T. Inv. I. neglectis minutis secundis, scil. 22. gr. 16. min.

Hos

Hos gradus adde Complemento Alt. ☉ v. g. H. 9. in nostro exemplo hoc modo:

	gr.	min.
	22.	16.
	50.	28.
& provenient	72.	44. pro Inv. II.

Si verò Azimuth est versus Septentrionem, debet minor numerus subtrahi à majore. Ulteriùs

L. S. C. Inv. II.	947249.	&
L. S. A. P.	987107.	
	1.934356.	
L. S. C. Inv. I.	— 996634.	
	937722.	

hócque residuum dabit L. S. Decl. quæsitæ scil. 13. gr. 47. min. neglectis secundis.

In Planisphærio

Filum eleva ad gradum Alt. ☉ 39. gr. 32. min. & Axi in puncto verticali 90. constituto, granum applica ad gradum Azimuthalem ab Oriente, nempe 27. gr. in Circulis Horarijs ab Axe quærendum; cum Axe ad Elevat. Poli reducto, granum prædictum in Arcu H. 9. indicabit Parallelum Declinationis ibi transeuntem 13. gr. 47. min.

PROBLEMA LXV.

Declinationem maximam scire ex Declinatione currente, ac Distantiâ ☉ ab Æquinoctio proximo.

Declinatio data est 13°. 47'. 16''. Distantia ☉ ab Æquin. verò 36°. 42'. 16''. Jam
L. S. D datæ & S. T. 1. 9377 1738.
L. S Dist. ☉ ab Æquin. — 97764741.

96006997.

& residuum dabit L. S. D. maximæ, nimi-
23. gr. 30. min.

In Planisphærio

Filum appone Declinationi datæ 13. gr. 47. min. in limbo, Axin verò tamdiu verte, donec filum ibidem à Centro abscindat Dist. ☉ ab Æquinoctio 36. gr. 42. min. & Axis signabit in limbo Declinationem maximam 23. gr. 30. min.

PRO-

PROBLEMA LXVI.

Eandem Declinationem maximam dato Angulo Ecliptica cum Meridiano, & Complemento Declinationis ☉ statuere.

Angulus Eclipticæ cum Meridiano supponitur 70° 46′ 52″. Complementum Declinationis verò 76° 12′ 44″. Itaque

L. S. Anguli meridiani	99750952. &
L. S. C. D. datæ	99873020.
S. T.	*. 99623978.

Residuum dabit L. S. C. D. maximæ 66. gr. 30. min. proximè.

In Planisphærio

Axin colloca in limbo ad Angulum Eclipticæ cum Meridiano 70. gr. 47. min. filum verò promove ad Compl. Declinationis 76. gr. 13. min. in Axe à Centro, filúmque in limbo denotabit Compl. Declin. maximæ, nim. 66. gr. 30. min.

PRO-

PROBLEMA. LXVII.

Maximam Declinationem ex Declin. ☉ currente, & Ascensione recta determinare.

Declinatio ☉ est 13°. 47′. 16″. Ascensio recta verò 145°. 38′. 28″. Iraque

S. T. & L. S. Ascens. rectæ	1. 97515680.
L. T. D. datæ	— 93898699.
	1. 03616981.

qui est L. T. C. D. maximæ quæsitæ nim. 66. gr. 30. min.

In Planisphærio

Æquatorem constitue Horizonti Parallelum, & Tropici in limbo indicabunt Declinationem maximam Borealem & Australem, nim. 23. gr. 30. min.

PROBLEMA LXVIII.

Altitudinem Poli ex Distantia ☉ Orientis ab H. 6. & Declin. ejusdem dignoscere.

Distantia ☉ Orientis ab H. 6. in nostro

ſtro exemplo eſt 15°. 48′. 56″. Declinatio 13°. 47′. 16″. Elevatio Poli 48. gr. Nunc igitur

S. T.& L. S. Diſt. ☉ ab H. 6. 1.94354325.
L. T. D. ☉ —93898699.

reſiduum erit L. T. A. P. 1.00455626.

In Planiſphærio

A puncto H. 6. ſeu Centro Planiſphærij numerentur in Æquatore retrorſùm gradus Diſtantiæ ☉ Orientis ab H. 6. nim. 15°. 48′. 56″. & ab hoc gradu Æquatoris invento in linea Arcui Horario parallela aſcende usque ad Parallelum ☉ datum 23°. 17′. ♌. & punctum, in quo fit concurrentia, nota; tum filo regulæ ad Horizontem reducto orbem verſatilem hinc inde tam diu verte, donec dictum punctum lineæ Horizontali perfectè congruat, & hoc ipſo apparebit, Axin mundi 48. gradibus elevatum eſſe ſupra Horizontem.

PRO-

PROBLEMA LXIX.

Eandem Altitudinem Poli ex Alt. ☉ H. 6. & Declinatione perscrutari.

Altitudo ☉ H. 6. in nostro exemplo est ° ' '' 10. 12. 5. Declinatio verò ° ' '' 13. 47. 16. Jam igitur

S. T. & L. S. Alt. H. 6. 1. 92482473.
L. S. Declin. ☉ — 93771738.

remanet L. S. A. P. 98710735. nim. 48. gr.

In Planisphærio

Filum applica Altitudini H. 6. 10. gr. 12. min. in limbo, lineam Axis autem versa, donec filum ibidem secet Declinationem datam nim. 13. gr. 47. min. à Centro, & Axis in eodem limbo indicabit Altitudinem Poli 48. gr.

PROBLEMA LXX.

Complementum Altitudinis Poli ex Hora diei, & Altitudine ☉ in Æquinoctio determinare.

Altitudo ☉ in Æquinoctio v. g. H. 9. hîc sup-

o / //
supponitur 28. 14. 19. Distantia verò ⊙ ab H. 6. est 45. gr. Hinc
S. T. & L. S. Alt. ⊙ in Æquin. 1.96749959.
L. S. Dist. ⊙ ab H. 6. — 98494850.

98255109.

eritque hoc residuum L. S. C. A. P. nim. 42. gr.

In Planisphærio

Axin colloca ad Dist. ⊙ ab H. 6. 45. gr. in limbo, filum verò promove ad Alt. ⊙ in Æquinoctio H. 9. 28. gr. 14. min. & filum in Axe indicabit Complementum Alt. Poli 42. gr.

PROBLEMA LXXI.

Complementum Altitudinis Poli ex Declinatione ⊙ & Amplitudine Ortiva inferre.

o / //
Declinatio est 13. 47. 16. Amplitudo Ortiva verò 20. 51. 55. Itaque

S.

S. T. & L. S. Declin. datæ 1. 93771738.
L S. Amplit. Ortivæ — 95516629.

98255109.
eritque hoc residuum L. S. C. A. P. 42. gr.

In Planisphærio

Filum promove ad gradum Declinationis datæ 13. gr. 47. min. in limbo. Axin verò tamdiu verte, quousque filum ibidem abscindat gradum Amplitudinis Ortivæ 20. gr. 52. min. à Centro, & Axis in limbo denotabit gradum Complementi Altitudinis Poli, seu Altitudinem Æquatoris 42. gr.

PROBLEMA LXXII.

Idem Complementum Altitudinis Poli ex Azimuth ab Oriente, Altitudine ⊙ ac Declinatione ejusdem enodare.

Azimuth ab Oriente est 27. gr. 4. min.

Complementum Alt. ⊙ verò 50. 27′. 36″.

Declinatio 13° 47′. 16″.

L.

L. S. Azimuth ab Oriente	965803.
L. T. C. Alt. ☉	1.008327.
S. T.	2.974130.

° ′ ″
eritque residuum L. T. Inv. I. scil. 28. 51. 48.

L. S. C. Inv. I.	994238. &
L. S. Declin. ☉	937717.
	1 931955.
L. S. Alt. ☉	—980388.
	951567.

residuum hoc erit L. S. Inv. II. cui respon-
° ′ ″
dent 19. 8. 18. Ab hujus Inventi Complemento si subtrahantur gradus Inventi I. vel, quando Azimuth est versùs Septentrionem, addantur, provenient proximè 42. gr. nim. Complementum Elevationis Poli quæsitum.

In Planisphærio

Prænotandum, sæpiùs in sequentibus præscribi v. g. gradum Azimuth à Meridie in Circulis Horarijs quærendum; unde ne hujus inveniendi modum sæpiùs repetere

oporteat, inter plures alios possibiles præmitto sequentes, quorum primus esse potest, ut dictum gradum Azimuth à Meridie nim. 63. numeres in Æquatore à Limbo ad sinistram seu ab ♈. & ab hoc in linea proximo Arcui Horario parallela ascendas usque ad filum regulæ, illúdque punctum intersectionis erit gradus Azimuth in Arcubus Horarijs inveniendus.

Alter verò Modus esse potest, si numerationem dicti gradûs incipias à Limbo, & primo Arcui Horario tribuas 15. gradus, alteri 30. tertio 45. &c. & in termino numerationis dictorum 63. graduum granum seu gemmam in filo figas. His itaque prænotatis

Axin pone ad Alt. ⊙ 39. gr. 32. min. in limbo, filum verò ad Declin. ⊙ 13. gr. 47. min. in eodem limbo; tum quære Azimuth à Meridie 63. gr. in Arcubus Horarijs alterutro dictorum modorum, & Parallelus transiens per punctum notatum erit Parallelus Altitudinis Poli, nim. 48. gr.

Vel:

Axin accommoda Complemento Altitudinis Solis 50°. 28′. in Limbo, filum autem dispo-

ſpone ad gradus Azimuth à Meridie 62. gr. 56. min. in Linea Axis à centro, & iſtud notabit in Limbo 43°. 30'. circiter pro Invento primo. Dein filum pone ad Declinationem Solis in Limbo, & Axim tamdiu verſa, donec filum ſecetur à gradibus ibidem prædictis 43°. 30'. Inventi primi ab extremitate numerandis, & provenient 19°. 8'. Denique filum pone ad Altitudinem Solis 39°. 32'. in Limbo, & Axin verſa, donec filum in Linea Axis denuò abſcindat gradus memoratos Inventi primi, nim. 43°. 30'. pariter ab extremitate ſumendos, filúmque in Limbo monſtrabit Complementum 28°. 52'. qui ſubtracti à Complemento Inventi II. videlicet 70°. 52'. relinquent 42°. 0'. pro Complemento Altitudinis Poli.

Vel:

Axin conſtitue in vertice 90. filum verò

ad gradum altitudinis Solis 39°. 32′. granum ad gradum Azimuth ab Oriente 27°. 4′. in Circulo Horario quærendum. Tunc autem Axin versa, donec granum incidat in Parallelum Declinationis, seu locum Solis, nim. 23°. 17′. ♌. & Axis in Limbo denotabit gradum Altitudinis Poli.

PROBLEMA LXXIIII.

Idem Complementum Altitudinis Poli, datâ Dist. ☉ ab H. 6. & Altitudine ac Declinatione ejusdem assignare.

Distantia ☉ ab H. 6. v. g. H. 9. est 45. gr. Declinatio 13. gr. 47. min. Altitudo ☉ 39°. 32′ 24″. Nunc

L. S. Dist. ☉ ab H. 6.	984948. &
L. T. C. Declin.	1.061013.
	2.045961.
S. T.	— 1.045961.

& remanebit L. T. Inv. I. nim. 70. gr. 52. min.

Ul-

Ulteriùs

L. S. C. Inv. I.	951566. &
L. S. A. ☉	980388.
	1.931954.
L. S. Declin. ☉	— 937717.
	994237.

qui est L. S. Inv. II. nim. 61. gr. 8. min. cujus Complementum est 28. gr. 52. min qui subtracti (vel infra H. 6. additi) gradibus Inventi I. 70. gr. 52. min. dabunt 42 pro Complemento Altitudinis Poli.

In Planisphærio

Axin pone ad Declinationem ☉ 13. gr. 47. min. sinistrorsùm in limbo, filum verò ad Alt. ☉ pariter in limbo, & Parallelus transiens per punctum, in quo filum sinistrorsùm secuerit Arcum H. 9. datum, erit Parallelus Altitudinis Poli, 48. gr.

Vel:

Axin pone ad Complementum Declinationis 76. gr. 13. min. in Limbo, filum verò

ad Dist. ⊙ à Meridie 45. gr. in Axi à Centro, & Axin pone ad locum fili in Limbo; filum dein deprime infra Horizontem ad Declin. ⊙ 13. gr. 47. min. in Limbo, filúmque dabit in Æquatore Inv. I. 70. gr. 52 min. ab extremitate. Dein filum move ad Alt. ⊙. 39. gr. 32. min. in Limbo pariter infra Horizontem, & filum in Æquatore dabit Inv. II 61. gr. 8. min. ab extremitate, cujus Complementum est 28. gr. 52. min. qui subtracti (vel si ⊙ est infra H. 6. additi) gradibus Inventi I. 70. 52. min. dabunt 42. gr. pro Complemento Alt. Poli.

PROBLEMA LXXIV.

Complementum Altitudinis Poli ex Hora Diei, Azimutho à Meridie, & Complemento Declinationis detegere.

Distantia ab H. 6, in exemplo nostro H. 9. est 45. gr. Azimuth à Meridie verò 62. gr. 56 min. & Declinatio ⊙ 13. gr. 47. min. His positis

L. S.Dist. ab H. 6. { 984948. &
L. T.C. Declin. ⊙ { 1.061013.

S. T. — 2.045961.
· 1.045961.

& residuum erit L. T. Inv. I. nim. 70. gr. 52. min.

Dein

L S. Inv. I. & L. T. Dist. ⊙ à Meridie 45. gr. (qui hîc est ipse S. T.) adjectâ unitate addantur, hoc modo:

1. 997532.
L. T. Az. à Mer. — 1. 029158.

968374.

qui est L. S. Inv. II. nim. 28. gr. 52. min. qui subtracti à gradibus Inv. I. 70. 52. min. dant Compl. Elev. Poli 42. gr.

In Planisphærio

Axin pone ad punctum verticale 90. filum verò ad Declin. ⊙ in Limbo, tum granum fige in Circulo H. 9. dato à dextris, Axin autem pariter à dextris hinc inde verte, donec granum coincidat cum puncto Azimuthi à Mer. 63. gr. proximè in Arcubus horarijs suprà inventi, & Axis in Limbo

dextrorsùm dabit Elevationem Poli, 48. gr.

PROBLEMA LXXV.

Dictum Complementum Altitudinis Poli ex Distantia ☉ à Meridie, Azimuth, & Complemento Altitudinis ☉ eruere.

Distantia ☉ à Mer. H. 9. data est 45. gr. Azimuth à Mer. 62. gr. 56. min. Azimuth verò ab Oriente 27. gr. 4. min. & Complementum Altitudinis ☉ 50° 27′ 36″. Jam igitur

L. S. Az. ab Or.	965803. &
L. T. C. Alt. ☉	1.008338.
S. T.	2.974141.

& residuum erit L. T. Inv. I. nim. 28. gr. 52. min.

Ulteriùs

L. S. Inv. I.	968374. &
L. T. Az. à Mer.	1.029158.
L. T. Dist. ☉ à Mer. qui simul est	
L. S. T.	2.997532.

re-

remanet ergò L. ☉. Inv. II. vid. 70. gr. 52. min. à quib' si subtrah. grad. Inv. I. 28. 52. min. restabunt pro Comple. Alt. Poli. 42. gr. Si Azimuth est versùs Septentrionem, tunc gradus utriusque Inventi addendi sunt.

In Planisphærio

Axin statue sub puncto verticali 90. filum applica Altitudini ☉ 39. gr. 32. min. in Limbo, granum fige in puncto Azimuthi à Mer. in Arcubus horariis suprà invento, Axin verò versa sinistrorsùm, donec granum tangat Circulum H. 9. datum à dextris, & Axis indicabit Elevationem Poli 48. gr. in Limbo.

PROBLEMA LXXVI.

Elevationem Poli ex Altitudine ☉ in Circulo verticali, & Declinatione eiusdem cognoscere.

Altitudo ☉ in Circulo verticali est 10. 42. 19. Declinatio 13. 47. 16. Itaque

S. T. & L. S. Declin. ☉ 1.93771738.
L. S. Alt. verticalis —95061003.

98710735.

qui est L. S. Alt. Poli 48. gr.

In Planisphærio

Filum pone ad Declinationis gradum 13. 47. min. in Limbo; tum Axin versa, donec filum in linea Axis abscindat gradum Altitudinis verticalis 18. 42. min. à Centro, & Axis in Limbo indicabit Altitudinem Poli, 48. gr.

PROBLEMA LXXVII.

Datâ duplici Altitudine ☉ vel Stellæ, diversis temporibus observatâ, & Differentia temporis, ac Azimuthali, cum Complemento Declinationis, Elevationem Poli statuere.

Operosior est resolutio hujus Problematis, attamen ab Authoribus singulariter commendata, ob insignem commoditatem ac utilitatem, quam habet in ordine ad Poli Elevationem, Lineam Meridianam, ac Subsly-

ſtylarem in quocunque Plano quomodocunque declinante aut inclinato, mediante duplici ☉ Altitudine, ac bina umbra ſtyli ibidem perpendiculariter erecti, inveniendam. Cùm enim Planum hujusmodi alicujus denique Loci Meridiano vel Horizonti congruere debeat, Sol haud ſecùs in tali Plano umbram projicit, ac in loco, cujus Horizonti vel Meridiano reſpondet; unde ſicut ex Altitudine ☉ ac duplici ſtyli umbrâ in Plano Horizontali noſtrate colligere poſſumus Lineam Meridianam, Azimuthum, Elevationem Poli ac Subſtylarem, ita etiam poſſumus in Plano taliter declinante vel inclinato, ut ex dicendis magìs patebit. Hoc tamen diſcrimine, quòd in Plano perfectè Horizontali ſufficiat, binam Altitudinem ☉ obſervari Quadrante, in inclinato autem ſtylus debeat poni 100. vel 1000. partium, & umbra menſurari, quot ſimiles partes contineat; harum enim numerus in Tabula Tangentium quæſitus, dabit Complementum Altitudinis ☉ ut patet ex Fig. II. hîc appoſitâ, ubi umbra longior ponitur 1722. brevior verò 1211. partium, has ſi in Tabula Tangentium inquiram, invenio quoad primam 59. gr. 52. min. quod eſt Complementum Altitudinis ☉ 30. gr. 8. min. quoad alteram verò 50. gr. 28. min. ſeu Complementum Al-







Fig. I.
Coml. Alt. Poli.
Compl. Decl.
Compl. Decl.
Com. Alt.
Com. Alt. 2
Ang. III
Angulus I
Alt 2. 39.32.
Alt 1. 30.8.
Axis
Parallelus
Diff. Azim.
13. 31.
Horizon



Fig. II.
Stylus 1000. part.
Vmbra I. 1722. part.
Vmbra II. 1211. part.


Fig. 3.


Complem.
Fig. 4.
Complem.


Fig. 5


Fig. 7.


Fig. 8.

titudinis ☉ 39. gr. 32. min. Imò ſervire etiam poteſt in Mari, ſi latus Pyxidis Nauticæ applicetur lineæ umbræ à ſtylo perpendiculari proiectæ, & gradus à Lingula Magnetica abſciſſus notetur, ac poſt temporis intervallum quodcunque ad ſecundam umbram denuò obſervetur gradus Magnetis; habebitur enim tali ratione Differentia Azimuthalis & reliqua annexa, ut ſuprà.

Ut autem etiam Operationes in reſolutione Problematis intervenientes obiter declaremus, ſuppono hîc, in quocunque Triangulo notis duobus lateribus & uno Angulo, innoteſcere etiam tertium latus Angulo illi oppoſitum. Sic in Fig. I. hîc appoſitâ ſint v. g. nota duo latera Trianguli ABC. nimirum AB. ſeu Complementum Declinationis, & BC ſeu Complementum Altitudinis ☉ primò obſervatæ; ſi ergò volo ſcire etiam tertium latus ſeu Complementum Altitudinis Poli, debeo priùs ſcire Angulum DBF. Hunc autem ut inveniam, ab initio inquiro Angulum primum DBE poſteà etiam ſecundum FBE ex quo ſponte ſequitur etiam tertius DBF qui erat inquirendus Tres igitur operationes hîc principaliter interveniunt, pro duobus ſcilicet Angulis, & uno latere inquirendis.

Ope-

Operatio I. pro I. Angulo inveniendo ita instituitur.

In nostro exemplo ante Meridiem sit observata Altitudo ☉ 30° 8′ 5″. dein post aliquod temporis intervallum v. g. post horam denuò sit notata Altitudo ☉ 39° 32′ 24″. sicque Differentia temporis ponitur esse 15. graduum. Rursùs Differentia Azimuthalis inter duas umbræ lineas binis observationibus notata fuit 13° 35′ 53″. His positis

L. S. C. Diff horariæ	998494 &
L. T. C. Declin. datæ	1. 061013.
S. T. abjecta una unitate	— 2. 059507.
reliquum	1. 059507.

dabit L.T. 75° 44′ 43″. pro Invento I. qui subtracti ex Complemento Declinationis ☉ 76° 12′ 44″ dabunt 0° 28′ pro Invento II. Dein

L. S. Inv. I.	998641. &
L. T. Diff. horariæ	942805.
	1. 941446.
L. S. Inv. II.	— 791087.
	1. 150359.

erit

eritque L. T. Anguli 1. Operationis, nim.
o / //
88. 12. 13.

In Planisphærio

Axin pone ad punctum verticale 90. filum verò ad Declinationem 13. gr. 47. min. in Limbo, & gemmam fige in gradu 15. Diff. temporis in Arcubus horar. à sinistra numerando; tum Axe sinistrorsùm ad gradum Declin. 13. 47. min. revoluto, gemma in Circulis horarijs monstrabit dictos 88. gr. 12. min. eos à Limbo deorsùm Axin versùs numerando.

Vel:

Axin pone ad Complementum Declinationis 76. gr. 13. min. in Limbo, filum verò ad Differentiam horar. 15. gr. in Axi à Centro; Axin remove ad locum fili in Limbo, hócque deprime infra Horizontem ad Declin. ☉ 13. gr. 47. min. in Limbo, & dabit in Æquatore ab extremitate Inv. I. 75. gr. 44. min. Differentia autem inter hos gradus Inv. I. & dictos gradus Complementi Declinationis dabit Inv. II. nim. o. gr. 28. min.

De-

Denique filum applica ad hoc Inventum II. in Æquatore ab extremitate, Æquatorem verò ad locum fili in Limbo, hoc autem pone ad priorem locum Axis supra Horizontem, & filum in Linea Axis à Centro dabit Angulum quæsitum 88. gr. 12. min,

Operatio II. pro 2. & 3. Angulo investigando.

L. S. C. Differ. Azimuth. { 998764.&
L. T. C. Alt. ☉ secundò obser. { 1.008327.

S. T. subtrahatur 2.007091.
abjectâ unâ Unitate 1.007091.
& residuum erit L. T. Inv. I. hujus 2. Ope-
o / //
rationis nempe 49. 39. 27. qui subtracti ex Complemento Altitudinis primitùs observa-
o / // o / //
tæ 59. 51. 55. dabunt 10. 12. 28. pro Inv. II. hujus 2. operationis. Jam verò

L. S. Inv. I. { 988206. &
L. T. Diff. Azimuthalis { 938361.

1.926567.
L. S. Inv. II. −924850.

1.001717.
eritque L. T. Anguli 2. hujus Operationis 46.

° ′ ″
46. 7. 57. qui subtracti ex Angulo I. Ope-
° ′ ″ ° ′ ″
rationis 88. 12. 13. dant 42. 4. 16. pro Angulo III.

In Planisphærio

Axe ad punctum vert. 90. constituto, filum applica 2. Alt. ☉ 39 gr. 23. min. in Limbo, granum verò fige in Circulo Differentiæ Azimuthalis 13. gr. 36. min. eam ab ♈ numerando; tum Axin versa ad 1. Alt. ☉ 30. gr. 8. min. versùs sinistram; & granum in Circulo horario à ♎ indicabit Angulum II. Differentia verò inter hunc & Ang. I. dabit Ang. III. ut suprà.

Vel:

Axin pone ad Complementum 2. Alt. ☉ 50. gr. 37. min. in Limbo; filum admove ad Differentiam Azimuthalem 13. gr. 36. min. in Axi à Centro. Axin versa ad locum fili in Limbo, filum verò deprime infra Horizontem ad 2. Altitud. ☉ 39. gr. 23. mini in Limbo, filúmque in Æquatore ab extremitate dat Inv. I. 49. gr. 39. min. Differen-

X tia

tia graduum Inv. I. & Complementi 1. Alt. ☉ 59. gr 52. min. dat Inv. II. 10. gr. 12. min. Tum filum applica ad Inv. II. in Æquatore ab extremitate, Æquatorem verò repone ad locum fili in Limbo, & filum remove ad punctum, in quo priùs fuerat Axis supra Horizontem, filúmque in linea Axis dabit quæsitum Angulum à Centro, scil. 46. gr. 7. min. Differentia Anguli I. & II. est Angulus III. nim. 42. gr.

Operatio III. ad Latus Angulo III. oppositum, seu Complementum Alt. Poli inveniendum.

Compl. 1. Alt. ☉ est 59°. 51'. 55''. Compl. Ang. III. 47°. 55'. 44''. Igitur

L. T. C. Alt. I.	1.023619. &
L. S. C. Ang. III.	987058.
S. T.	— 2.010677.
restabit	1.010677.

qui est L. T. Inv. I. hujus 3. Operationis; nim. 51°. 58'. 25''. quibus subtractis ex Complemento Declinationis 76°. 12'. 44''. remanent 24°. 14'. 19''. pro Inv. II. hujus 3. Operationis. Denique

L.

L. S. C. Inv. II.	⎧995991. &
L. S. Alt. primò observatæ	⎩970073.
	1. 966064.
L. S. C. Inv. I.	— 978959.
	987105.

qui tandem erit L. S. A. P. 48. gr. proximè.

In Planisphærio

Axin pone ad verticem 90. filum ad 1. Alt. ☉ in Limbo 30. gr. 8. min. granum verò fige in Circulo horar. Ang. III. 42. gr. 4. min. ab ♈ numerando; tum Axin repone ad Declinationem 13. gr. 47. min & granum dabit Parallelum Elevationis Poli 48. gr. & simul Circulum horar. H. 8. datæ,

Vel:

Axin pone ad Complementum Altitudinis ☉ primò observatæ, scil. 59 gr. 32. min. in Limbo, filum move ad Angulum III. in Axi à Centro 42. gr. 4. min. Axin removeve ad punctum fili, filum deprime ad Altitudinem ☉ primò observatæ 30. gr. 8. min. in Limbo infra Horizontem; filum in Æquatore ab extremitate dat Inv. I. scil. 51 gr.

58. min. Differentia graduum Inv. I. & Complementi Declinationis ☉ erit Inventum II. 24. gr. 14. min. Filum dein pone ad Inv II. in Æquatore ab extremitate, filum in Limbo dat Elevationem Poli 48 gr.

PROBLEMA LXXVIII.

Resolutionem Problematis præcedentis aliâ breviori viâ perficere, & imprimis quidem Angulum I. invenire.

o ′ ″

Declinatio ☉ 13 47 16. Semissis Diff. horariæ 7. gr. 30. Hinc

L. S. Declin. ☉ {93771738. &
L. T. Semissis Diff. horariæ {91194291.

S. T. 4. 84966029.

o ′ ″

qui est L. T. C. Anguli I. scil. 1. 47. 49. Complem. 88. gr. 12. min. 11. sec.

In Planisphærio

Axe ad Compl. Declin. 76. gr. 13. min. posito, filum admove gradui Semissis horariæ 7. 30. min. in linea Axis à Centro; tum Axin reduc ad locum fili, hoc autem de-

deprime ad Compl dictæ Semissis 82 gr. 30. min. in Limbo, filúmque in Æquatore ab extremitate dat Complementum Ang. I. nim. 88. gr 12. min.

Angulum II. indagare.

	°	′	″
Differentia Azimuthalis est	13.	35	53.
	°	′	″
Complem. Altitudinis secundæ	50.	27.	36.

Itaque

L. S. Diff. Azimuthalis	937126 &
L. S. C. Alt. secundæ	988715.
	1 925841.
L. S. Diff. horariæ	- 941299.
addito Sinu Toto provenit	1.984542.
L. S. C. Declin.	— 998730.
	985812.

qui est L. S Anguli II. 46. gr. qui subtracti à I. Angulo 88. gr. relinquunt 42. gr. pro III. Angulo, non attentis minutis.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Altitudinis secun-

 dæ

dæ 50. gr. 27. min. in Limbo, filum move ad differentiam Azimuthalem 13. gr. 36. min. in Axi à Centro. Axin volve ad Diff. hor. 15 gr. in Limbo, filum in linea Axis à Centro dat 44. gr. 27. min. ad hos posteà filum dispone in Limbo, Axin verò ad Compl. Declinationis 76. gr. & 12. min. filum in linea Axis à Centro dabit Angulum II. 46. gr. 8. min. Differentia hujus Ang. II. & Ang. I. 88. gr. 12. min. erit Angulus III. nim. 42. gr. 4. min.

PROBLEMA LXXIX.

Angulum II. datâ solâ Differentiâ horariâ, & duplici ☉ Altitudine investigare.

Compl. Declin. ☉ est 76. 12. 44. (° ′ ″) Diff. hor. 15. gr. Compl. Alt. I. 59. 51. 55. (° ′ ″) Compl. Alt. II. 50. 27. 36. (° ′ ″) Itaque

L. S. C. Declin. ☉	998730. &
L. S. Diff. hor.	941299.
S. T.	1. 940029.

residuum erit Inv. I. L. S.

Po-

	°	′	″
Posteà gradus Inv. I.	14.	33.	28.
C. Alt. II.	59.	51	55.
C. Alt. I.	50.	27.	36.
	124.	52.	59.
Productum divid. per	2.		
Semissis erit	62	26.	29
Compl. Alt. II.	− 50.	27.	36.
remanent grad. Inv. II	11.	58.	53.

Jam
L.. S. Semissis 9994770. &
L. S Inv. II. 9931721.

1 9926491.
L. S. C. Alt. I. — 9993693.

addito Sinu Toto 1 9932798.
L. S. Inv. I. − 9940029.

Denuò addito S. T. 1.9992769 (9996385.
Summa dividatur per 2.
qui est L. S. graduum 66. 57. min. qui duplicati dant 133. gr. 54. min. pro Compl. Anguli II. subtracti verò ex 180. (vel si Summa esset minor, ex 90.) dant Ang. II. prope verum; modica enim Differentia propter multiplices Operationes intervenientes, ac minuta sec. hinc inde neglecta, in similibus curanda non est, prout jam suprà fol. 212. monuimus.

In Planisphærio

Axin pone ad Dist. hor. 15. gr. in Limbo, filum verò ad Compl. Declin. 76. gr. 12. min. in linea Axis à Centro, filúmque in Limbo dabit Inv. I. nim. 14. gr. 33. min. Ad hos gradus pone Æquatorem, filum autem ad gradus Alt. I. 30. in Limbo, & granum fige in gradu Alt. II. 39. 32. min. in Circulis horarijs quærendo; tum Axin colloca ad punctum verticale 90. & granum in Circulis horarijs ab Axe dat Angulum II. 46. gr.

PROBLEMA. LXXX.

Differentiam Azimuthalem ex sola Differentia Temporis v.g. horaria, ac duplici ☉ Altitudine concludere.

Inventum I. ac Semissis sunt eadem, quæ in Probl. præcedente, adeóque eodem modo indaganda. Proinde

Inv. I. fuit 14° 33′ 28″. Semissis 62° 26′ 29″. Com-

Compl. Alt. I. 59° 51' 55". Compl. Alt. II. 50° 27' 36". Itaque

	° ' "
A Semisse	62. 26. 29.
Inv. I.	— 14. 33. 28.
erit hoc Inv. II.	47. 53. 1. Jam
L. S. Semissis	994770 &
L. S. Inv. II.	987027.
	1.981797.
L.S.Comp.Alt.I.	—993693.
S.T	1.988104.
L. S. C. Alt II.	—988715.
S. T.	1. 999389 (999695.

Summa divid. per 2

Productum erit L. S. 83. gr. 13. min. adeóque ejus duplum 166. gr. 26. min. qui subtracti ex 180. (vel si Summa dupli est minor, ex 90.) dant Diff. Azimuthalem prope verum, ut priùs.

In Planisphærio

Axin pone ad Alt. II. 39. gr. 32. min. filum verò ad Compl. Inv. I. 75. gr. 47. min.

X 5 &

& filum in Parallelo Alt. I. 30. gr. dat Circulum horarium Diff. Azimuthalis 13. gr.

PROBLEMA LXXXI.

Differentiam horariam ex duplici Altitudine ☉, ac Differentia Azimuthali inferre.

Compl. Alt. I. est 59°. 51′. 55″. Compl. Alt II. 50°. 27′. 36″. Compl. Diff. Azim. 76°. 24′. 7″. Compl. Declin. 76°. 12′. 44″.
Itaque

L. S. C. Diff. Azim.	998764. &
L. T. C. Alt. II.	1.008327.
S. T.	2.007091.
manent	1.007091.

qui est L. T. Inv. I. nim. 49°. 39′. 25″. Ulterius.

A gradibus Compl. Alt. I	59°. 51′. 55″.
subtrah. gradus Inv. I.	49. 39. 25.
erit Inventum II.	10. 12. 30.

Jam

L.

L. S. C. Inv. II. {999307. &
L. S. Alt. II. {980388.

1 979695.
L. S. C. Inv. I. — 981114.

erit L. S. Inv. III. 998581. ni. 75. gr. 26. m.
Ex L. S. C. Inv. III. 1.940054.
addito S. T.
L. S. C. Declin. — 998730.

erit L. S. Diff. horariæ 941324. nim. 15. gr. proximè.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Alt. II. 50.27.36. (° ′ ″) filum verò ad Diff. Azim. 13. gr. 36. min. in Axi à Centro; dein Axin pone ad locum fili, & filum deprime ad Alt. II. 39. gr. 32. min. in Limbo infra Horizontem, filúmque in Æquatore ab extremitate dat Inv. I. 49. 39. 25. (° ′ ″) Differentia graduum dicti Inv. I. & Compl. Alt. I. 59. 51. 55. (° ′ ″) dant Inv. II. 10. 12. 30. (° ′ ″) Prætereà filum pone ad Inv. II. in Æquatore ab extremitate, & dabit in Limbo Inventum III. nim. 75. gr. 26. min.

min. Dein filum promove ad Compl. Inv. III. in Limbo 14. gr. 34. min. Axin verte, donec filum in eo à Centro abscindat Complementum Declinationis 76. gr. 12. min. & Axis in Limbo monstrabit Diff. horariam 15. gr.

PROBLEMA LXXXII.

Angulum III. ex Azimuth à Meridie v. g. H. 8. in nostro exemplo, Elevationem Poli & Compl. Declinationis eruere.

Azimuth à Meridie H. 8. est 76. gr 32. min. Compl. Elevationis Poli 42. gr. Compl.

o / // Declinationis 76. 12. 44.	Jam
L. S. Azimuth a Mer.	998789. &
L. S. C. A. P.	982551.
	1 981340.
L. S. C. Declinationis	— 998730.
erit L. S. Anguli III.	982610. nim.

o / //
42. 4. 13.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Elevationis Poli

42.

42. gr filum ad Azimuth à Meridie 76. gr. 32. min. in Axi à Centro, Axin dein pone ad Compl Declinationis 76. gr. 12. min. filúmque in Axe dat Angulum III. 42. gr. 4. min.

PROBLEMA LXXXIII.

Angulum III. ex hora Diei, Complemento Alt. I. & Compl. Elevationis Poli invenire.

Distantia ☉ à Meridie H. 8. est 60. gr. Compl. Elev. Poli 42. Compl. Alt. I. 59. gr. 52 min. Itaque

L. S. Dist ☉ à Meridie H. 8.	993753 &
L. S. C. Elev. Poli	982551.
	1. 976304.
L. S. C. Alt. I.	— 993694.
erit L. S. Ang. III. nim. 42. gr. 4. min.	982610.

In Planisphærio

Axin dispone ad Compl. Elev. Poli 42. gr. filum ad Dist. ☉ à Meridie 60. gr. in linea

nea Axis à Centro, & Axe ad Compl. Alt. I. 59. gr. 52. min. converso, filum in linea Axis à Centro dabit Angulum III. nim. 42. gr. 4 min.

Quòd si dictum Angulum III. 42. gr. 4. min. subtrahas ab Angulo I. 88. gr. 12. min. habebis Angulum II. 46. gr. 8. min.

PROBLEMA LXXXIV.

Distantiam à Meridie ex Angulo III. Complemento Elevationis Poli, & Compl. Alt. I. colligere.

Angulus III. est 42. gr. 4. min. Compl. Elev. Poli 42. gr. & Compl. Alt. I. 59. gr. 52 min. Igitur

L. S. Anguli III.	982610 &
L. S. C. Alt I.	993694.
	1. 976304.
L. S. C. Elev. Poli	— 982551.
erit L. S. Dist. ☉ à Mer.	993753. nim.

60. gr.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Alt. I. 59. gr. 52. min.

min. filum verò ad Angulum III. 42 gr. 4. min. in linea Axis à Centro, & Axe ad Compl. Elev. Poli 42. gr. dispositо, filum in Axi indicabit Distantiam à Meridie, nim. 60. gr.

PROBLEMA LXXXV.

Azimuth à Meridie v. g. in nostro exemplo H. 8. ex Angulo III. Compl. Declinationis, & Compl. Elev. Poli invenire.

Angulus III. est 42. gr. 4. min. Compl. Declinationis 76°. 12′. 44″. Compl. Elev. Poli 42. gr. Itaque

L. S. Ang. III.	98261020. &
L. S. C. Declin.	99873020.
	1.98134040.
L. S. C. A. P.	— 98255109.

erit L. S. Azimuth à Mer. 99878931. nim. 76°. 32′. 2″.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Declinationis 76°. 12′, 44″. filum verò ad Ang. III. 42. gr. 4. min.

4. min. in linea Axis à Centro ; tum Axin revolve ad Compl. Elev. Poli 42. gr. filum in linea Axis dat Azimuth à Meridie 76. gr. 32. min.

PROBLEMA LXXXVI.

Altitudinem ⊙ H. 6. ex Declinatione ejusdem, & Elevatione Poli indagare.

Declinatio ⊙ est 13. 47. 16. (° ′ ″) Elevatio Poli 48. gr. Nunc ergò

L. S. Elev. Poli	98710735 &
L. S. Declin. ⊙	93771738.
S. T.	2.92482473.

residuum erit L. S. A. ⊙ H. 6. nim. 10 12. 5. (° ′ ″)

In Planisphærio

Idipsum invenitur ; filum enim in puncto lineæ H. 6. ubi Parallelum ⊙ datum 23. gr. 17. min. ♌ intersecat, constitutum abscindet in Limbo gradus Alt. quæsitæ nim. dictos 10. 12. min.

PRO-

PROBLEMA LXXXVII.

Eandem Alt. H. 6. ex Alt. ☉ Meridiana, & Sinu Dimidij determinare.

Constat ex Problemate 10. & modus facillimus illam inveniendi, & eam in nostro exemplo esse $55^{\circ}. 47'. 16''$. Sinus verò Dimidij utriusque Alt. Merid. Maximæ & Minimæ, nim. Borealis & Australis (de quo posteà) est $40^{\circ}. 31'. 49''$. His positis

A Sinu Alt. Meridianæ	82695.
subtrah. Sinus Dimidij,	64984.
vel vicissim,	17711. nim.

10. gr. 12. min.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli dispositò, filum applica gradui Declinationis 13. 47. min. in Linea Axis à Centro, & filum in Limbo monstrabit Altitudinem H. 6. nim. 10. gr. 12. min.

PROBLEMA LXXXVIII.

Altitudinem ☉ in Circulo Verticali Primario, seu in Linea veri Orientis, ex Declinatione ejusdem, & Altitudine Poli deprehendere.

Declinatio ☉ est 13° 47′ 16″. Altitudo Poli 48 gr. Jam
S. T. & L. S. Declin. addantur 1. 93771738.
L. S. A. Poli — 98710735.

95061003.

hócque residuum erit L. S. Alt. ☉ in Circulo Verticali, nempe 18° 42′ 19″.

In Planisphærio

Ductâ lineâ verticali, saltem occultâ, à Zenith seu gradu 90. per Centrum Planisphærij, tanquam punctum H. 6. filum regulæ promoveatur ad punctum, ubi Parallelus datus, nim. 13. gr. 47. min. ♌ lineam illam occultam seu Circulum Verticalem intersecat, & filum in Limbo abscindet

det dictos gradus Altitudinis 18. 42. min. Vel:

Etiam absque linea verticali, Axin dirige ad gradum Elevationis Poli, filum verò ad gradum Declinationis 13. 47. min. in Limbo, & filum in linea Axis à Centro notabit dictos 18. gr. 42. min. pro Altitudine ⊙ in Circulo Verticali.

PROBLEMA LXXXIX.

Altitudinem ⊙ in Æquinoctio ex Complemento Elevationis Poli, & Distantia ⊙ ab H. 6. reperire.

Complementum Elevationis Poli est 42. gr. Distantia ⊙ ab H. 6. v. g. H. 9. verò 45. gr. Igitur

L. S. C. A. P.	9825510 9.	&
L. S. Dist. ⊙ ab H. 6.	9849485 0.	
S. T.	x. 9674995 9.	

residuum erit L. S. A. ⊙ H. 9. in Æquinoctio, nim. 28°. 14′. 19″.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli 48. gr. disposito, fi-

filum promove ad punctum, ubi Arcus H. 9. Æquatorem intersecat, & filum in Limbo monstrabit dictam Altitudinem ⊙ in Æquinoctio.

PROBLEMA XC.

Sinum Dimidij Altitudinis Meridianæ, nim. Borealis & Australis ex Complemento Elevationis Poli, & Compl. Declin. ⊙ calculare.

Servit hoc ad Problemata sequentia. Elevatio Poli est 48. gr. Compl. Declin. ⊙ 76. 12. 44. Iraque

L. S. C. Elev. Poli	98255109.	&
L. S. C. Declin. ⊙	99873020.	
S. T.	2. 98128129.	

& residuum erit L. S. Dimidij, cujus Sinus simplex est 64985. seu 40. 31. 49.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Elev. Poli 42. gr. filum verò ad Compl. Declin. 76. gr. 12. min. in Axi à Centro, & filum in Limbo notabit dictos gradus Dimidij.

PRO-

PROBLEMA XCI.

Idem Dimidium alio modo ex Compl. Elev. Poli, & Declinatione data invenire.

Compl. Elev. Poli est 42. gr. Declinatio data 13. gr. 47. min. Itaque

Gradibus Compl. Elev. Poli 42. semel adde, & semel subtrahe Declinationem datam, v. g. in nostro exemplo, hoc modo:

	42. —	42. —
	13. 47	13. 47.
addendo	55. 47.	28. 13. subtrahendo:

Hujus utriusq; producti Sinus adde, videlicet:

82691.
47280.
———
129971.

qui Numerus divisus per 2. dabit Sinum Dimidij, nim. 64985½. cui respondent 40°. 31′. 49″.

In Planisphærio

Gradibus Æquatoris 42. adde gradus Declin. 13. 47. min. & habebis 55. gr. 47. min.

min. pro Altitudine Meridiana Boreali; si verò eandem Declin. subtrahas ab Alt. Æquatoris invenies 28. gr. 13. min. pro Alt. Australi. Ut autem ex Planisphærio eruatur Sinus Dimidij dictæ utriusque Altitudinis, supponendum est, Sinum Totum Planisphærij, seu Radium vel Semidiametrum ejusdem jam haberi divisam in 1000. v. g. partes, vel hujus defectum per scalam totidem partium passim notam, ac eidem commensuratam, vel etiam per Instrumentum Proportionum suppleri. Jam itaque unus pes Circini ponitur in Meridiano seu Limbo ad dictum Altitudinis Boreæ gradum 55. 47. min. altero pede ita distento, ut lineam Horizontalem præcisè radat, & scalæ dictarum 1000. partium applicatus abscindet ibidem 826. partes. Rursus ponatur pes unus Circini ad gradum Alt. Australis 28. 13. min. & altero pede Circini linea Horizontalis præcise radatur, & in scala abscindet hæc apertura Circini 472. partes, qui duo numeri in unam Summam redacti conficiunt 1298. cujus Summæ dimidium 649. dabit Sinum Dimidij utriusque dictæ Alt. Merid. quæsitum. Quòd si Sinus Totus poneretur divisus in 10000000. partes (prout in Tabula Sinuum divisus supponitur)

pro-

prodiret totus numerus 6498497. Dimidio respondens.

PROBLEMA XCII.

Altitudinem ⊙ currentem ex hora Diei, Sinu Dimidij, ac Elev. Poli supputare.

Dist. ⊙ ab H. 6. v. g. H. 9. est 45. gr.

Sinus Dimidij 40°. 31′. 49″. & Alt. H. 6. 10°. 12′. 5″. Itaque

L. S. Dimidij	98128129	&
L. S. Dist. ⊙ ab H. 6.	98494850.	
S. T.	2. 96622979.	
& residui Sinus simplex erit	4595109.	
qui additus Sinui Alt. H. 6.	1771085.	
	6366194.	

dat Sinum Alt. ⊙ quaesitae, nim. 39°. 32′. 24″.

In Planisphaerio

Ad Elevationem Poli disposito, filum Regulae promoveatur, usquedum Parallelus

lus ⊙ datus (in nostro exemplo 13. gr. 47. min. ♌) secet H. 9. propositam,& filum in Limbo abscindet dictos gradus Alt. ⊙ quæsitæ.

PROBLEMA XCIII.

Eandem Altitudinem ⊙ ex Alt. H. 6. Compl. Declin. ⊙ & Compl. Elev. Poli, ac hora Diei metiri.

Alt. H. 6. est 10. 12 5. Compl. Declin. ⊙ 76. 12. 44. Compl. Elev. Poli 42. gr. & Dist. ⊙ ab H. 6. v. g. H. 9. 45. gr. Igitur

L. S. C. A. P.	982551.
L. S. C. Declin. ⊙	998730. &
L. S. Dist. ⊙ ab H. 6. v. g. H. 9.	984948.
	2. 966229.

Hinc autem abjectâ totâ primâ figurâ seu numero 2. ad sinistram, residuum erit L. S. cujus Sinus Simplex addendus est Sinui Alt. H. 6. (in Hyeme verò, & infra H. 6. subtrahendus) v. g. in nostro exemplo

45942.
17710.
63652.

Cuj

Cui Sinui respondent 39. gr. 32. min. pro Alt. ☉ quæsita.

In Planisphærio

Ad Elev. Poli disposito filum subleva ad Arcum H. 9. ubi eum Parallelus ☉ 23. gr. ♌ intersecat, & filum in Limbo signabit gradus Alt. quæsitæ 39. 32. min.

PROBLEMA XCIV.

Complementum Alt. ☉ ex Dist. ☉ à Meridie, Compl. Declinationis, & Azimuth à Meridie metiri.

Dist. ☉ à Meridie H. 9. est 45. gr. Compl. Declin. 76. 12. 44. & Azimuth à Meridie 62. gr. 56. min. Itaque

L. S. Dist. ☉ à Meridie	98494850. &
L. S. C. Declin. ☉	99873020.
	1.98367870.
L. S. Azimuth à Meridie	— 99496310.
	98871560.
qui est L. S. C. A. ☉ nim.	50. 27. 36.

In Planisphærio

Filum applica gradui Azimuthali à Meridie 62. 56. min. in Limbo, Axin verò versa, donec in eo filum abscindat gradum Complementi Declin. 76. 13. min. à Centro, tum filum retrahe ad gradum Dist. ⊙ à Meridie 45. in Limbo, & istud in linea Axis à Centro indicabit Complementum Alt. ⊙ 50. gr. 28. min.

PROBLEMA XCV.

Altitudinem ⊙ ex Compl. Elev. Poli, Dist. ⊙ ab H. 6. & Compl. Declin. dignoscere.

Compl. Elev. Poli est 42. gr. Dist. ⊙ ab H. 6. in nostro exemplo 45. gr. Compl.

Declin. 76. 12. 44. (° ′ ″) Jam

L. T. C. A. P. 9.95443 74. &

L. S. Dist. ⊙ ab H. 6. v. g. H. 9. 9.8494850.

S. T. a. 9.8039224. (° ′ ″)

residuum erit L. T. Inv. I. nim. 32. 29. 3. Hos gradus subtrahe à Compl. Declin. hoc modo:

76.

	°	'	''
	76.	12.	44.
	32.	29.	– 3.
Inventum II.	43.	43.	41.

si verò est infra H. 6. manè aut vesperi, adde.

L. S. C. Inv. II.	98589152. &
L. S. A. P.	98710735.
	1.97299887.
L. S. C. Inv. I.	— 99261056.
	98038831.

eritque L. S. Alt. quæsitæ, scil. 39.32. (° ')

In Planisphærio

Axin accommoda Complemento Elev. Poli 42. gr. in linea Axis à Centro, filum verò gradui distantiæ ☉ à Meridie 45. gr. dein Axin pone ad punctum seu locum fili in Limbo, filum autem deprime infra Horizontem ad gradum Elev. Poli 48. in Limbo, & hoc indicabit in Æquatore ab extremitate Inv. I. 32. gr. 29. min. Differentia Inventi I. & Complementi Declinationis 76. gr. 13. min. (vel infra H. 6. eorum Summa) erit Invent. II. 43. gr. 43. min. Denique

que filum infra Horizontem colloca ad Inv. II. in Æquatore in priori suo situ relicto ab extremitate, filúmque in Limbo infra Horizontem monstrabit 39. gr. 32. min. pro Alt. ⊙ quæsitâ. Vel;

Axi ad Alt. Poli 48. gr. constituto, filum eleva ad Arcum H. 9. datæ in puncto, in quo Parallelus ⊙ 23. ♌. dictum Arcum intersecat, filúmque in Limbo dabit dictam Alt. ⊙.

PROBLEMA XCVI.

Eandem Alt. ⊙ ex Hora Diei, seu Dist. ⊙ ab H. 6. Declinatione ejusdem, & Complemento Alt. Poli elicere.

Dist. ⊙ ab H. 6. v. gr. H. 9. est 45. gr.

	°	′	″
Declinatio ⊙	13.	47.	16.

Complem. Alt. Poli 42. gr. Jam

L. S. Dist. ⊙ ab H. 6.	984948.&
L. T. C. Declin.	1.061013.
S. T.	2.045961.
remanet L. T. Inv. I.	1.045961.

	°	′	″
nim.	70.	51.	39.
C. A. Poli	42.	—	—
erit Inv. II.	28.	51.	39.

Dein L.

L. S. C. Inv. II.	{994239. &
L. S. Declin. ⊙	{937717.
	1.931956.
L. S. C. Inv. I.	— 951569.
erit L. S. Alt. ⊙ quæsitæ	980387.

nim. 39. gr. 32. min.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Declin. ⊙ 76. gr. 13. min. filum verò ad Dist. ⊙ à Meridie 45. gr. in Axi; hunc dein pone ad locum fili, hoc autem deprime infra Horizontem ad Declin. ⊙ in Limbo 13. gr. 47. min. & filum in Æquatore ab extremitate dat Inv. I.
o / //
nim. 70. 51. 39. Differentia autem horum graduum Inv. I. & Complementi Elev. Poli 42. gr. (vel infra H. 6. eorum Summa) dabit Inv. II. Denique filum pone ad gradus Inv. II. 28. 51. min. in Æquatore ab extremitate, & filum in Limbo indicabit Alt. ⊙ quæsitam, videl. 39. gr. 32. min. Vel brevius:

Axin dirige ad Elev. Poli, filum verò ad punctum H. 9. datæ, ubi Parallelum ⊙

23.

23. gr. ♌ intersecat, & filum in Limbo monstrabit dictam Alt. ☉.

PROBLEMA XCVII.

Altitudinem ☉ ex Azimuth ab Oriente, Declinatione ☉ & Elevatione Poli determinare.

Azimuth ab Oriente est 27. 3. 50. & consequenter à Meridie, cujus est Complementum, erit 62. 56. 10. Declin. ☉ 13. 47. 16. & Elevatio Poli 48. gr. His positis

L. S. Azim. ab Oriente	965799. &
L. T. C. A. P.	995443.
S. T.	1.961242.

residuum erit L. T. Inv. I. 22. 16. 36. Dein

L. S. C. Inv. I.	996632. &
L. S. Declin. ☉	937717.
	1.934349.
L. S. Elev. Poli	—987107.
	947242.

qui est L. S. Inv. II. scil. 17. 15. 49. qui gradus additi Invento I. dabunt Alt. ☉ 39.

o ʹ ʺ
39. 32. 24. si verò Azimuth est versus Septentrionem, subtrahendi erunt.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl Elev. Poli 42. gr. filum verò ad Azimuth à Meridie in Axi 62. gr. 56. min. Axin dein verte ad locum fili in Limbo, filum deprime infra Horizontem ad Elev. Poli 48. gr. in Limbo; & filum in Æquatore dabit Inv. I. 22. gr. 16. min. Porrò filum move ad Declin. ☉ 13. gr. 47. min. in Limbo infra Horizontem, & filum in Æquatore à Centro indicabit Inv. II. 17. gr. 15. min. qui additi Invento I. dant Alt. ☉ 39. gr. 32. min. Vel:

Axi ad Elev. Poli dispositio, filum pone ad Declin. ☉ & filum in Circulo Horario dicti Azimuth à Mer. à sinistris dabit Parallelum Alt. ☉.

PROBLEMA XCVIII.

Eandem Alt. ☉ ex Azimuth à Septentrione, Horâ Diei, ac Elev. Poli statuere.

Azimuth à Septentrione habetur, si Azimutho

° ′ ″
mutho ab Oriente 27. 3. 50. addantur 90.
° ′ ″
gr. adeóque Azimuth à Sept. erit 117. 3. 50.
Hora Diei data est H.9.& sic Dist. ☉ à Mer. erit 45. gr. Elevatio Poli 48. Jam L. S. Elev. Poli, & L. T. Dist. ☉ à Mer. adduntur, & S. T. subtrahitur: quia verò in nostro exemplo L. T. Dist. ☉ à Mer. est ipse Sinus Totus, ne in hoc particulari casu nunc addi, ac denuò abjici debeat, ideo hîc & nunc solus L. S. Elev. Poli 987107.
° ′ ″
jam erit L. T. Inv. I. 36. 37. 4. cujus
° ′ ″
Compl. est 53. 22. 56. qui si subtrahantur ex gradibus Azimuth à Sept. hoc modo:

	°	′	″
	117.	3.	50.
	53.	22.	56.
remanebunt pro Inv. II.	63.	40.	54.

Denique L. S. Inv. I. 9977559 &
L. T. C. A. P. 995443.

1.973002.
L. S. C. Inv. II. —964674.

1.008328.

qui est L. T. C. Alt. ☉ quæsitæ, nim. 50. gr. 28. min. proximè.

In

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Elev. Poli 48. gr. filum verò ad Dist. ⊙ à Mer. 45. gr. Axin dein colloca ad locum fili in Limbo, filum autem deprime infra Horizontem ad Dist. ⊙ ab H. 6. 45. gr. & filum in Æquatore à Centro dabit Compl. Inv. I. 53. gr. 23. min. Differentia horum graduum, & Azimuth à Sept. 117. 3. 50. (vel eorum Summa, si ⊙ est infra H. 6.) erit Inventum II. 63. 40. 54. Prætereà filum deprime infra Horizontem ad hos gradus Inv. II. in Æquatore à Centro, Æquatorem applica ad locum fili, filum verò pone ad punctum, ubi anteà erat Axis supra Horizontem, filúmque in linea Axis dabit Compl. Alt. ⊙ nim. 50. gr. 28. min.

PROBLEMA XCIX.

Depressionem ⊙ infra Horizontem, datâ Horâ Noctis, Alt. ⊙ H. 6. ac Declinatione ejusdem reperire.

Ponamus H. 9. Noctis, Alt. verò ⊙

Z H.

H. 6. esse 10. 12. 5. & Declinationem 13. 47. 16.

Operatio pro Depressione ⊙ infra Horizontem invenienda de Nocte, procedit sicut pro Elevatione ejusdem de Die infra H. 6. Sicut enim juxta Probl. 93. ad eruendam Alt. ⊙ Sinus Simplex 45942. addi debuit Sinui Alt. H. 6. ita hîc ad habendam Depressionem ⊙ v. g. H. 9. Noctis, reliquis omnibus manentibus Sinus Simplex Alt. H. 6. loco additionis subtrahi debet à dicto Sinu, hoc modo:

45942.
17710.

28232 nim. 16. gr. 24. min.

in Hyeme tamen, quando ⊙ jam est infra H. 6. addendus erit.

Idem juxta alia Problemata haberi potest, contrario modo procedendo, & fingendo nos, dum operamur, quasi Antipodes, quæ ulteriùs exemplificare supervacaneum ducimus.

In Planisphærio

Ad Elev. Poli dispositο, filum deprime, donec in Parallelo ⊙ dato abscindat H. 9. No-

Noctis; tunc enim in Limbo abscinder gradus suprà inventos 16. 24. min.

PROBLEMA C.

Horam Diei ex Alt. H. 6. & Alt. ☉ datâ, ac Sinu Dimidij cognoscere.

Alt. ☉ in nostro exemplo est 39°. 32′. 24″.
Alt. H. 6. verò 10°, 12′. & 5″. Sinus Dimidij
40°. 31′. 49″.

A Sinu Alt. ☉ datæ	63661.
S. Alt. ☉ H. 6.	—17710.
	45951.
Hujus producti L. S. & S. T. addantur	1.966229.
L. S. Dimidij	— 981281.
	984948.

qui est ipsissimus L. S. Dist. ☉ ab H. 6. nim. 45. gr. qui in tempus conversi dant H. 9.

In Planisphærio

Ad Elev. Poli disposito, filum applica

 Alt.

Alt. ☉ datæ 39. gr. 32. min. & in puncto, ubi secuerit Parallelum ☉ 23. gr. 17. min. ♌, indicabit in casu nostro H. 9.

PROBLEMA. CI.

Ex Alt. ☉ datâ, & Alt. H. 6. independenter à Sinu Dimidij, Horam Diei concludere.

Alt. ☉ data est 39° 32′ 24″. Alt. H. 6. 10° 12′ 5″. Sinus Dimidij 40° 31′ 49″.

Diximus suprà fol. 201. Complementum Arithmeticum haberi, si Logarithmus datus subtrahatur à Sinu Toto. Subtrahatur ergò L. S. Alt. Æquatoris à S. T. hoc modo: 1000000.

—982551.

017449.

Hoc igitur Compl. Arith. addatur in Hyeme Summæ, in Æstate verò Differentiæ Sinuum Alt. ☉ datæ, & Alt. H. 6. qui juxta Probl. præcedens, additâ unitate ad sinistram, dabunt

I.

	1. 966229.
huic addatur præf. C. Arith.	017449.
	1. 983678.
L. S. Compl. Declin.	– 998730.
	984948.

qui est L. S. Dist. ☉ ab H. 6. nim. 45. gr. qui in tempus conversi exhibent H. 9.

In Planisphærio

Ut in Probl. præcedenti.

PROBLEMA CII.

Horam Diei, etiam sine Complemento Arithmetico, ex Altitudine ☉, Alt. H. 6, Elevatione Æquatoris, & Complemento Declinationis determinare.

Alt. ☉ est 39° 32′ 24″. Alt. H. 6. verò 10° 12′ 5″. Elev. Æquatoris 42. gr. Compl. Declin. 76° 12′ 44″. Jam à Sinu Alt. ☉ datæ 63661.

S. Alt. H. 6. in Æst. – 17710. in Hyeme addatur

45951.

Ab hujus producti Logarithmo Sinûs, addito S. T. | 1. 966229.
L. S. Alt. Æquat. | −982551.

additâ denuò unitate | 1. 983678.
L. S. C. Declin. ☉ | −998730.

984948.

qui iterùm est ipsissimus Log. Sinûs Dist. ☉ ab H. 6. nim. 45. gr. seu H. 9.

In Planisphærio

Sicut in Problemate 100.

PROBLEMA CIII.

Distantiam ☉ à Meridie, seu Horam Diei, ex Compl. Declin. Complemento Alt. ☉ datæ, & Azimutho à Meridie indagare.

Compl. Declin. est 76. 12. 44. Compl. Alt. ☉ 50. 27. 36. Azimuth à Meridie 62. 56. 10. Igitur

L.

L. S. Azim. a Merid.	9949631. &
L. S. C. Alt. ☉	988715.
	1. 983678.
L. S. C. Declin. ☉	— 998730.
	984948.

qui denuò est L. S. Dist. ☉ à Mer. nim. 45. gr. seu H. 9.

In Planisphærio

Filum admove gradui Azimuth à Meridie 62. 56. min. in Limbo, Axin verò versa, donec filum ibidem abscindat grad. Compl. Declin. 76 13. min. à Centro; filum dein retrahe ad grad: Compl. Alt. ☉ 50. 28. min. in linea Axis à Centro, filúmque in Limbo monstrabit Dist. à Merid. videl. 45. gr. seu H. 9.

PROBLEMA CIV.

Horam Diei ex Altitudine Æquatoris, & Altitudine ☉ in Æquinoctio elicere.

Alt. Æquatoris est 42. gr. Alt. verò ☉ in Æquinoctio 28°. 14′. 19″. Jam

S. T. & L. S. Alt. ☉ in Æquin. 1. 967499.
L. S. Alt. Æquatoris — 982551.

984948.
qui est L. S. Dist. ☉ à Mer. 45. gr. seu H. 9.

In Planisphærio

Æquatore ad suam Altitudinem 42. gr. constituto, filum ad grad. Alt. ☉ in Æquinoctio 28. 14. min. applicatum indicabit in Æquatore in nostro exemplo H. 9. quæsitam.

PROBLEMA CV.

Horam Diei, datâ Altitudine & Declin. ☉ ac Elevatione Poli, numerare.

Alt. ☉ est 39° 32′ 24″. Declinatio verò ejusdem 13° 47′ 16″. Elev. Poli 48. gr. Itaque

L. S. A. P. {987107. &
L. S. Declin. ☉ {937717.

S. T. x. 924824.
residuum erit L. S. Inv. I. Sinus verò Simplex ejusdem 17710. cujus gradus 10° 12′ 5″. sunt Alt. ☉ H. 6.

Præ-

Præterea L. S. C. A. P. {982551. &
L. S. C. Declin. ☉ {998730.

S. T. 1.981281.

& remanebit L. S. Inv. II. cujus Sinus Simplex 64984. est Sinus Dimidij utriusque Altitudinis Meridianæ, Borealis & Australis. Jam

A Sinu Simplici Alt. ☉ 63661.
subtrahatur Sinus Inv. I. 17710.

in Æstate, in Hyeme verò 45951.
addatur,
residuum erit Sinus Inv. III. Denique
L. S. Inv. III. & S. T. addantur 1.966229.
L. S. Inv. II. — 981281.

984948.

qui iterùm est L. S. Dist. ☉ ab H. 6. nim. 45. gr. seu H. 9.

In Planisphærio

Ad Elev. Poli dispositio, & filo ad Alt. ☉ 39. gr. 32. minut. applicato in Limbo, ubi Parallelus ☉ (in nostro casu 23. gr. 17. min. ♌) filum tanget; ibi apparebit H. 9. quæsita.

PROBLEMA CVI.

Horam Diei, datis Complementis Elev. Poli, Alt. & Declin. ☉ *reperire.*

Gradus horum trium, videlicet

	°	′	″			
C. Elev. Poli	42.	0	0			
C. Alt. ☉ &	50.	27.	36.			
C. Declin.	76.	12.	44.			
				°	′	″
	168.	40.	20	84.	20.	10.

Hæc Summa div. per 2.

	°	′	″
Ex Semisse invento	84.	20.	10.
subtrahatur Compl. Alt.	50.	27.	36.
	33.	52.	34.

Jam L. S. Semissis	9992787.
L. S Differentiæ ultimò inventæ	9746106.
& C. Arith. Alt. Æquat.	10174490.
	19918512.
L. S. Compl. Declin.	9987300.
Summa addit. S. T. divisa per 2.	1.9931212.
dabit	9965611.

qui

quiest L. S. cujus Complementi gradus $22\frac{1}{2}$. duplicati dant Dist. ⊙ à Mer. 45. gr. ideſt, H. 9.

In Planisphærio

Sicut suprà in Probl. 100.

PROBLEMA CVII.

Eandem Horam Diei, seu Dist. ⊙ à Mer. ex Compl. Declin. ejusdem, Azimutho, Compl. & Elevatione Poli invenire.

Compl. Declin. ⊙ est 76. 12. 44. (° ′ ″) Azimuth verò à Mer. 62. 56. 10. (° ′ ″) Compl. Elev. Poli 42. gr. Igitur

L. T. Azim. à Mer.	1029163,&
L. S. A. P.	987107.
	2016270.
S. T. abijciatur	1016270.

qui est L. T. Inv. I. nempe 55. 29. 24. (° ′ ″)
Jam

L. S. Inv. L. {991593. &
L. T. C. A. P. {995443.

1987036.
L. T. Com. Declin. — 1061013.

926023.
o ′ ″
qui erit L. S. Inv. II. nim. 10. 29. 24.
Hi gradus subtracti à gradibus Inv. I.
o ′ ″
55. 29. 24. dant 45. gr. pro Dist. à Merid. seu H. 9. Infra H. 6. vel in Hyeme addendi sunt.

In Planisphærio

Axin pone à dextris ad Elevationem Poli 48. gr. filum verò ad Declin. ☉ 13. gr. 47. min. in Limbo, & granum fige in gradu Azimuthali 63. in Circulis Horarijs à ♎. sinistrorsùm numerando; tum Axi in Vertice 90. constituto, granum signabit Circulum Horarium 45. gr. seu H. 9.

PROBLEMA CVIII.

Azimuth à Meridie ex Complemento Alt. & Declinationis ☉ ac Elevationis Poli colligere.

Adde gradus simplices horum trium, vi-

videlicet, Complementi Alt. ⊙

	°	′	″
	50.	27.	36.
Elev. Poli	42.	—.	—.
Declin. ⊙	76.	12.	44.
	168.	40.	20.
HæcSum.div.per 2 dat.	84.	20.	10.
hinc verò subtrah. C. D.	76.	12.	44.
	8.	7.	26. Jam

L. S. Semissis	9999787.
L. S. ultimi producti	9915018. &
Compl. Arith. Elev. Æquat.	0017449.
	19322254.
L. S. C. Alt. ⊙	—9887115.
S. T. addatur	1.9435139.
& Summa hæc divisa per	2.

dabit L. S. Semissis Azimuth quæsiti, nimi 31. gr. 28. min. quæ duplicata dant integrum Azimuth 62. gr. 56. min.

In Planisphærio

Ad Elev. Poli dispositio, filum pone ad gradum Alt. ⊙ 39. 32. min. in Limbo, granum verò fige in puncto, ubi Parallelus ⊙, 23. ♌ filum intersecat, & Axe ad Verticem 90. converso, granum in Circulo Horario in-

indicabit Azimuth à Meridie vel Septentrione, cui nim. fuerit propinquius.

PROBLEMA CIX.

Azimuth ab Oriente ex Alt. ☉ Verticali, ejúsque Altitudine datâ, ac Elevatione Poli evincere.

Alt. ☉ in Circulo Verticali est 18° 42′ 19″. ejusdem Alt. data 39° 32′ 24″. Elev. Poli 48 gr. Itaque

Quæratur Differentia (subtrahendo minorem à majore) inter Sinum Alt. ☉ datæ 63661.

&Sinum Alt. Vert.	32069.
	31592.
Jam L. S. hujus Diff.	949958.
L. T. Elev. Poli	1.004556.
	1.954514.
L. S. C. Alt. datæ	988715.
	965799.

eritque hoc residuum L. S. Azimuth ab Oriente versus Merid. nim. 27° 5′ 50″. siquidem Alt. ☉ data (quod bene notandum est) sit ma-

major Altitudine Verticali,& in Hyeme universim; si autem fuerit minor, Azimuth erit versus Septentrionem.

In Planisphærio

Ad Elev. Poli disposito, filum pone ad Alt. ☉ 39. gr. 32. min. & granum fige in puncto, ubi Parallelum ☉ 23. ♌ secuerit; tum Axin move ad granum, eúmque unacum filo tamdiu hinc inde verte, donec granum coincidat cum Complemento Altit. ☉ 50. gr. 27. min. in linea Axis, & Axis in Limbo dabit Azimuth à Meridie, vel Septentrione.

PROBLEMA CX.

Azimuth à Meridie ex Compl. Declinationis & Altitudinis ☉ ac Distantia ejusdem à Meridie desumere.

Compl. Declin. est 76° 12′ 44″. Distantia ☉ à Meridie 45. gr. Compl. Alt. ☉ 50° 27′ 36″. Itaque

L.

L. S. C. Declin. {998730. &
L. S. Dist. ⊙ à Mer. {984948.

1. 983678.
L. S. C. Alt. ⊙ —988715.

994963.
eritque hoc residuum L. S. Azimuth à Mer.
° ′ ″
nim. 62. 56. 10.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Declin. 76. gr. 12. min. filum verò ad Dist. ⊙ à Merid. 45. gr. in linea Axis; tum Axin revolve ad Compl. Alt. ⊙ 50. gr. 27. min. filúmque in Axi indicabit Azimuth à Mer. 62. gr. 56. min.

PROBLEMA CXI.

Azimuth à Mer. vel Septentrione ex Compl. Declin. Elevatione Poli, ac Distantia ⊙ à Meridie eruere.

° ′ ″
Compl. Declin. est 76. 12. 44. Elev. Poli 48. gr. Dist. ⊙ à Meridie 45. gr. Jam

L. S. Dist. ⊙ à Mer.	984948. &
L. T.C. Declin.	1061013.
S. T.	—2.045961.
	1.045961.

o / //

eritque hoc resid. L. T. Inv. I. scil. 70. 51. 39.
inde verò subtrah. grad. C. A. P. 42. —. —.

in Hyeme verò addantur, 28. 51. 39.
& productum erit Inv. II.

Dein L. S. Inv. I.	997530. &
L. T. Dist. ⊙ à Mer.	1.000000.
	1.997530.
L. S. Inv. II.	— 968366.
	1.029164.

resid. erit L. T. Azimuth à Mer. 62. gr. 56. min.

In Planisphærio

Axin dispone ad Verticem 90. filum verò ad Declin. 13. gr. 47. min. & granum fige in Circulo hor. Dist. ⊙ à Merid. 45. gr. tum Axin revolve dextrorsùm ad Elev. Poli 48. gr. granúmque in Circulo hor. notabit Azimuth à Merid. vel Septentrione 62. gr. 56. min.

PROBLEMA CXII.

Idem Azimuth à Merid. vel Septent. ex Compl. Alt. ☉ ejusdem Dist. à Merid. ac Elev. Poli concludere.

Compl. Alt. ☉ est 50. 27. 36. Dist. à Merid. 45. gr. Elev. Poli 48. gr. Jam

L. S. A. Poli	987107. &
L. T. Dist. ☉ à Mer.	1.000000.
S. T.	1.987107.
	° ′ ″
Resid. erit L. T. Inv. I. nim.	36 37. 5.
Tum L. T. C. A. P.	995443. &
L. S. Inv. I.	977559.
	1.973002.
L. T. C. Alt ☉	1.008327.
	964675.

	° ′ ″
dabitque resid. L. S. Inv. II. nempe	26. 19. 5.
Hi in Hyeme, & infra H. 6. subtrah. in æstate verò add. gradibus Inv. I. nim.	36. 37. 5.
& habetur Azimuth à Merid.	62. 56. 10.

In Planisphærio

Ad Elevationem Poli dispoſito, filum appli-

plica Alt. ⊙ 39. gr. 32. min. granum verò fige in Circulo horario Diſt. ⊙ à Mer. 45.gr. tum Axin erige ad punctum Verticale 90. & granum in Circulo hor. notabit Azimuth à Mer. vel Septentrione 62. gr. 56. min.

PROBLEMA CXIII.

Complementum Diſt. ⊙ à Nonageſimo, ex Altitudine ejusdem, & Altitudine Nonageſimi deducere.

De hoc vide, quæ diximus ſuprà fol. 264.
o / //
& ſeqq. Interim Alt. ⊙ eſt 39. 32. 24. Alti-
o / //
tudo Nonageſimi verò 65. 12. 40. Jam

L. S. Alt. ⊙ & S. T. 1.980388.
L. S. Alt. Nonag. — 995801.

984587.

qui erit L. S. C. Diſt. ⊙ à Nonageſimo;
o / //
ſcil. 44. 31. 40. ſicque ipſa Diſt. ⊙ à No-
o / //
nageſimo erit 45. 28. 20.

In Planiſphærio

Axin verte ad Alt. Nonag. 65. gr. 12. min. ſi-

lum promove ad Alt. ☉ in Limbo 39. gr. 32. min. hócque in linea Axis indicabit Compl. Dist. ☉ à Nonagesimo, nim. 45. gr. 28. min.

PROBLEMA CXIV.

Altitudinem Nonagesimi ex Altitudine ☉, & Dist. ☉ à Nonagesimo colligere.

Alt. ☉ est 39° 32′ 24″. Complementum Dist. ☉ à Nonagesimo verò 44° 31′ 40″. Jam

S. T. & L. S. Alt. ☉	1.980388.
L. S. C. Dist.	– 984587.
	995801.

qui est L.S. Alt. Nonagesimi, nim. 65° 12′ 40″.

In Planisphærio

Axin applica Complemento Dist. ☉ à Nonagesimo 44. gr. 32. min. filum verò Altitudini ☉ 39. gr. 32. min. in Limbo, & hoc in linea Axis dabit Alt. Nonag. 65° 12′ 40″.

PRO-

PROBLEMA CXV.

Altitudinem ⊙ ex Alt. Nonagesimi, & Dist. ⊙ à Nonagesimo calculare.

Alt. Nonagesimi est $65^{\circ}. 12'. 40''$. Complementum Dist. ⊙ ab eodem $44^{\circ}. 31'. 40''$.

Igitur

L. S. Alt. Nonagesimi	9995801. &
L. S. C. Dist. ⊙ à Nonag.	9984587.
S. T.	x·980388.

resid. erit L. S. Alt. ⊙ nim. $39^{\circ}\ 32'. 24''$.

In Planisphærio

Axin pone ad Alt. Nonagesimi 65. gr. 12. min. filum ad Compl. Dist. ⊙ à Nonag. 44 gr. 31. min. in Axi à Centro, filùmque in Limbo notabit Alt. ⊙ 39. gr. 32 min.

PROBLEMA XXVI.

Complementum Altitudinis Nonagesimi, ex Compl. Alt. Medij Cæli, & Angulo Gradûs Eclipticæ Culminatis desumere.

Angulus Gradûs Culminantis Eclipticæ est 85°. 47′. 0″. Complem. Alt. Medij Cœli verò 24°. 51′. 4[illegible]″. adeóque Alt. Medij Cœli 65°. 8′. 19″. Nunc igitur

L. S. C. Alt. Medij Cœli	962368. &
L. S. Anguli Culm. Eclipt.	999882.
S. T.	1. 962250.

residuum erit L. S. C. Alt. Nonagesimi 24°. 47′. 20″.

In Planisphærio

Axin colloca ad Angulum Gradûs Eclipt. Culmin. 85 gr. 47. min. filum ad Compl. Alt. Medij Cœli 24. gr 51. min. in Axi. & filum in Limbo indicabit Compl. Alt. Nonagesimi, nim. dictos 24. gr. 47. min.

PRO-

PROBLEMA CXVII.

Complementum Alt. Med. Cœli, ex Angulo Culm. Ecliptica, & Complem. Alt. Nonag. dignoscere.

Angulus Eclipt. est 85°. 47′. 0″. Complementum Alt. Nonagesimi 24°. 47′. 20″. Itaque

S. T. & L. S. C. Alt. Nonag. 1. 962250.
L. S. Ang. Culm. Eclipt. —999882.

962368.

qui erit L. S. C. Alt. Med. Cœli, nim. 24°. 51′. 40″.

In Planisphærio

Axin pone ad Angulum Gradûs Culm. Eclipt. 85. gr. 47. min. filum ad Compl. Alt. Nonag. 24. gr. 47. min. in Limbo, & filum in linea Axis dabit Complementum Alt. Med. Cœli, nim. dictos 24. gr. 52. min.

PROBLEMA CXVIII.

Angulum Gradûs Culm. Eclipticæ, ex Compl. Alt. Med. Cœli, & Compl. Alt. Nonagesimi edicere.

o / //
Compl. Alt. Med. Cœli est 24. 51. 40. &
o / //
Compl. Alt. Nonagesimi 24. 47. 20. Jam
L. S. C. Alt. Nonag. & S. T. 1.962250.
L. S. C. Alt. Med. Cœli — 962368.

999882.
residuum erit L. S. Anguli Gradûs Eclipt.
o / //
Culmin. nim. 85. 47. 0.

In Planisphærio

Axin converte ad Complem. Alt. Med.
o / //
Cœli 24. 51. 40. filum promove ad Compl.
o / //
Alt. Nonagesimi 24. 47. 20. & hoc in linea Axis dabit Angulum Gradûs Eclipticæ Culmin. quæsitum, videl. 85. gr. 47. min.

PRO-

PROBLEMA CXIX.


Eundem Angulum Gradûs Eclipticæ Culminantis cum Meridiano ex Complemento Declinationis ejusdem, & Complem. Declin. Maximæ determinare.

Complem. Declinationis Gradûs Culminantis est 66° 51′ 41″. Complem. Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. Itaque
L. S. C. Declin. Maximæ, &S.T. 1.996239.
L. S. C. Declin. datæ — 996357.

999882.
qui est L. S. Anguli Gradûs Culmin. Eclipticæ cum Meridiano, nim. 85. gr. 47. min.

In Planisphærio

Æquatore in Vertice constituto, sicut apposita figura monstrat; ubi aliàs est Tropicus ♋. finge ♈. in Tropico ♑. verò finge ♎. in ipso autem Æquatore pone utrumque Tropicum ♋. & ♑. & sic de reliquis Signis loquendo, & juxta hoc Sistema Paral-



lelus datus signabit in Limbo Angulum Eclipticæ quæsitum 85. gr. 47. min.

PROBLEMA CXX.

Distantiam Gradûs Culminantis ab Æquin. proximo, ex Ascens. Recta Med. Cæli, à prox. Æquinoctio, & Compl. Declin. Maximæ indagare.

Ascensio Recta Medij Cœli à prox. Æquino-

o ′ ″
noctio est 79. 22. 9. Complem. Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. Nunc ergò L. T. Ascensionis Rectæ & S T. addantur, duplicando unitatem ad sinistram 2.072653.
L. S. C. Declin. Maximæ — 996239.

1.076414.
eritque hoc residuum L. T. Dist. Gradûs Culmin. à prox. Æquin. nim. 80. gr. 14. min.

In Planisphærio

In Æquatore à gradu Ascensionis Rectæ à principio ♈ numeratæ nim. 100. 38. min. perge secundùm lineam Arcûi horario parallelam usque ad Eclipticam, & incides in punctum Gradûs Culmin. à quo usque ad ♎, seu prox. Æquinoctium, numerabis dictos 80. gr. 14. min. Dist. scil. quæsitæ.

PROBLEMA CXXI.

Ascensionem Rectam Gradûs Culmin. ex Dist. ejusdem à prox. Æquinoctio, & Compl. Declin. Maximæ invenire.

Dist. Gradûs Culmin. à prox. Æquinoctio est

est 80. gr. 14. min. & Compl. Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. Nunc ergò
L. T. Dist. Grad. Cul. ab Æq. { 1.076414. &
L. S. C. Declin. Maximæ { 996239.

S. T. — 2.072653.
& residuum 1.072653.
erit L. T. Ascens. Rectæ à prox. Æquin.
° ′ ″
79. 22. 9. quia verò Gradus Culminans ponitur esse in 2. Quadrante Eclipticæ, utpote in ♋. ideò gradus inventi juxta dicta fol. 274. & seq. subtrahendi sunt à semicirculo, seu
° ′ ″
180. & proveniunt 100. 37. 51.

In Planisphærio

A Gradu Culmin. descende in linea Arcui hor. parallela ad Æquatorem, & incides in dictos 100. gr. 38. min. vel antrorsùm numerando usque ad ♎. invenies Ascens. Rect. à prox. Æq. 79. gr. 22. min.

PROBLEMA CXXII.

Complementum Anguli Gradûs Eclipticæ Culmin. cum Meridiano, ex Compl. Dist. ejusdem Gradûs ab Æq. prox. & Declin. Maximæ mensurare.

Compl. Dist. Gradûs Culm. ab Æquin. pro-

proximo est 9. gr. 46. min. Declin. Maxima 23. gr. 30. min. Itaque

L.S.C. Dist. Grad. Culm. ab Æq.	9922951.&
L.T. Declin. Max.	9963830.
S.T.	1. 886781.

resid. erit L. T. C. Anguli Gr. Culm. Eclipt. nim. 4. 13. 6. (o ′ ″)

In Planisphærio

Filum applica Complemento Dist. à prox. Æquin. 9 gr. 46. min. in Limbo, Axin verò versa, donec filum secet Compl. Declin. Max. 66. gr. 30. min. in Axi: tum filum constitue ad punctum Æquatoris in Limbo, & Axin versa, donec filum in Axi radat Dist. à prox. Æquin. 80. gr. 14. min. & Axis in Limbo dabit Angulum quæsitum 85. 47.

PROBLEMA CXXIII.

Complementum Distantiæ Gradûs Culmin. ab Æquin. proximo, ex Compl. Anguli ejusdem Gradûs cum Meridiano & Declinatione Maxima metiri.

Compl. Anguli Gradûs Culmin. Eclipticæ

cum

o / //
cum Merid. est 4. 13. 6. adeóque ipse Angu-
o / //
lus 85. 47. 0. Declin. Maxima 23. gr. 30.
min. Jam.

L. T. Com. Ang. præfati, & S. T.	1.886781.
L. T. Declin. Maximæ	963830.
	922951.

qui erit L. S. Compl. Dist. Gradûs Culmin. ab Æquin. proximo, nim. 9. gr. 46. min.

In Planisphærio

o /
Axin pone ad Compl. Decl. Max. 66. 30. filum ad Angulum præfatum 85. gr. 47. min. in Axi. Æquatorem applica ad locum fili in Limbo, filum colloca ad Declin. Max. 23. 30. in Limbo etiam, filum in Axi dat Dist. à prox. Æquin.

PROBLEMA CXXIV.

Ex Compl. Anguli Gradûs Eclipt. Culm. cum Merid. & Compl. Dist. ejusdem Gradûs ab Æquin. proximo, Declinationem Maximam dignoscere.

o / //
Compl. Anguli prædicti est 4. 13. 6.
Com-

Compl. Dist. Gradûs Culm. ab Æquin. 9. gr. 46. min. Igitur

L.T.C. Ang. Grad. Culm. & S.T. 1.886781.
L.S.C. Dist. Grad. Culm. ab Æq. — 922951.

963830

residuum erit L. T. Declin. Max. 23. gr. 30. min.

In Planisphærio

Axin pone ad Dist. Grad. Culm. ab Æquin. filum ad Angulum Eclipticæ datum in Axi, Æquatorem applica ad locum fili in Limbo, filum dispone ad Compl. Dist. à prox. Æquin. 9. gr. 46. min. in Limbo, filum hoc in Axi indicabit Compl. Declin. Max. 66° 30′.

PROBLEMA CXXV.

Angulum Eclipticæ ☉ cum Circulo Verticali ex Compl. Alt. Nonagesimi, & Dist. ☉ à Nonagesimo investigare.

Compl. Alt. Nonagesimi est 24° 47′ 20″. Dist. ☉ à Nonagesimo 45. gr. 28. min. Itaque

S. T. & L. T. C. Alt. Nonag. 1.966448.
L. S. Dist. ⊙ à Nonagesimo —985299.

981149.

o / //
qui est L. T. Anguli, scil. 32. 56. 19.

In Planisphærio

o /
Axin pone ad Compl. Dist. à 90. 45. 28. filum ad Alt. 90. 65. gr. 12. min. in Axi, Æquatorem colloca ad punctum fili, filúmque ad Compl. Alt. 90. 24. gr. 47. min. in Limbo, filum in Axi monstrabit Angulum quæsitum.

PROBLEMA CXXVI.

Datis Alt. ⊙ & Dist. ejusdem à 90. invenire Compl. Anguli Eclipt. cum Verticali.

o / //
Alt. ⊙ ponitur 39. 32. 24. Dist. ⊙ à 90.
o /
45. 28.

L. T. Alt. ⊙ { 991679.
L. T. Dist. ⊙ à 90. { 1000707.

S. T. 1.992386.

re-

residuum erit L. S. C. Anguli quæsiti, nim, 57. gr. 4. min.

In Planisphærio

Filum pone ad Alt. ☉ 39. gr. 32. min. Axin versa, donec filum radat Compl. Dist. ☉ à Nonag. 44. gr. 32. min. filum move ad punctum Æquatoris in Limbo, Axin verò versa, donec filum abscindat Compl. Alt. ☉ 50. gr. 27. min. in eodem Axi, & Axis in Limbo notabit Angulum quæsitum.

PROBLEMA CXXVII.

Distantiam Nonagesimi à Medio Cælo ex Complem. Anguli Eclipt. Gradûs Culm. & Compl. Alt. Medij Cæli ejusdem Gradûs eruere.

Compl. Anguli Eclipt. est 4. gr. 13. min.

	o / //	
Compl. Alt. Medij Cœli	24. 51. 40.	Jam
L. S. C. Ang. Eclipt.	886645.	&
L. T. C. Alt. Medij Cœli	966592.	
S. T.	*+*. 853237.	

residuum erit L. T. Dist. Nonag. à Medio Cœlo, videl. 1. gr. 57. min.

 In

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Alt. Medij Cœli
o /
24. 51. filum ad Ang.Eclipt. 85. gr. 47.min. in Axi, Æquatorem dispone ad punctum fili in Limbo, filum econtrà ad Alt. Med. Cœli 65. gr. 8. min. in Limbo, quod filum in Axi dabit Compl. Dist. Medij Cœli à Nonagesimo, nim. 88. gr. 3. min.

PROBLEMA CXXVIII.

Ipsum Gradum Nonagesimum ex præcedente Problemate facillimè deducere.

Gradus Dist. Medij Cœli à Nonag. 1. gr. 57. min. in Signis Descendentibus nim. à ♋. ad ♑. subtracti Gradibus Medij Cœli, dant Gradum Nonag. versùs Occasum, in Signis Ascendentibus verò, id est à ♑. ad ♋. additi dictis Gradibus Medij Cœli, dant Gradum Nonag. versùs Ortum.

In Planisphærio

A Gradibus Medij Cœli in Ecliptica nume-

mera dictam Dist. Medij Cœli à Nonag. 1. gr. 57. min. in Signis Ascendentibus antrorsùm, in Descendentibus verò, ut fit in nostro exemplo, retrorsùm, & habebis Gradum Nonag. 7. gr. 49. min. ♋.

PROBLEMA CXXIX.

Distantiam Medij Cœli ab Horizonte proximiori, sicque Gradum Orientem ex prædicto Problemate eâdem facilitate reperire.

Dist. Med. Cœli à Nonag. subtrahe ex 90. gr. residuum erit Dist. Med. Cœli ab Horizonte Ortivo, si Nonagesimus est versùs Occasum, aut si Med. Cœli invenitur in Signis Descendentibus (secùs verò ab Occiduo) uti contingit in nostro exemplo, quia Med. Cœli ponitur in Signis Descendentibus, hinc si subtrahatur 1. gr. 57. min. ex 90. restabunt 88. gr. 3. min. pro Distantia Med. Cœli ab Horizonte Ortivo. Hæc porrò Distantia 88. gr. 3. min. addita Gradibus Medij Cœli in Signis Descendentibus, scil. 9. gr. 46. min. ♋. dabunt 7. gr. 49. min. ♎. in Horizonte Ortivo tunc constitutos. In Signis Ascend. verò fiat subtractio à Gradibus Medij Cœli, & habebitur Gradus constitutus in Occasu.

 In

In Planisphærio

A Gradu Med. Cœli in Ecliptica numerentur Gradus Dist. Med. Cœli ab Horizonte in Signis Descend. antrorsum, & occurret Gradus Ortivus scil. 7. gr. 49. min. ♎. in Signis Ascend. autem numeratio fiat retrorsum, & offendes Gradum Occiduum.

PROBLEMA CXXX.

Altitudinem Med. Cœli ex Compl. Ang. Eclipt. Gradûs Culm. cum Meridiano, & ex Compl. Dist. Nonag. à Med. Cœlo elicere.

Compl. Ang. Eclipt. est 4. gr. 13. min. Compl. Dist. à Nonag. 88. gr. 3. min. Jam

L. S. C. Ang. Eclipt.	886645. &
L. T. C. Dist. Nonag. à M. C.	1. 146792.
S. T.	− 2. 033437.

residuum erit L. T. Alt. Med. Cœli scil. 65. gr. 8. min.

In Planisphærio

Axin pone ad Angulum Eclipticæ 85. gr.

47.

47. min. filum ad Compl. Dist. Medij Cœli à Nonag. 88. gr. 3. min. in Axi, Æquatorem colloca ad punctum fili in Limbo, filum verò promove ad Dist. Medij Cœli à Nonag. 1. gr. 57. min. filúmque in Axi indicabit Compl. Alt. Medij Cœli 24. gr. 52. min.

PROBLEMA CXXXI.

Com. Ang. Eclipt. ex Dist. Nonag. à Medio Cælo, & Alt. Med. Cæli indagare.

Dist. Nonag. à Med. Cœlo 1. gr. 57. min. Alt. Medij Cœli 65. gr. 8. min. Itaque

L. T. Dist. Non. à Med. Cœlo	853207. &
L. T. Alt. Med. Cœli	1. 033437.
S. T.	1. 886644.

residuum erit L. S. C. Ang. Eclipt. quæsiti 4. gr. 13. min.

In Planisphærio

Filum dispone ad Dist. Medij Cœli à Nonag. 1. gr. 57. min. Axin versa, donec filum abscindat Compl. Alt Med. Cœli 24. gr. 52. min. in linea Axis, filum pone ad punctum Æquatoris in Limbo, Axínque com-

move, donec filum radat Compl. Dist. Med. Cœli à Nonag. 88. gr. 3. min. & Axis in Limbo dabit Angulum quæsitum scil. 85. gr. 47. min.

Quæ hactenùs proposuimus, Solaria potissimùm fuêre Problemata, nunc verò, ut Universalitas Usûs Planisphærij tantò magìs patescat, quædam etiam Lunaria, quæ omnibus Planetis, imò & Cometis, applicari possunt, subjungemus. Circa quæ tamen

Notandum est I. Locum seu Signum ☽, item Declinationem, Latitudinem ejusdem &c. (quousque similia inveniendi modum in sequentibus ex instituto tradamus) ex Calendarijs, ac præsertim ex Ephemeridibus D. Ioannis Gauppij Augustæ Vindelic. recèns in lucem editis, & jam usque ad A. 1720. continuatis, petenda esse.

II. Supputationem Similium in Calendarijs & Ephemeridibus ordinariè instrui pro Meridie Solari; unde quando v. g. Ortus ☽ vel Occasus contingit in Media nocte, Differentia graduum unius diei ab altero quærenda, & solum Dimidium ejusdem retinendum erit, & sic de rato tertiæ, quartæ vel sextæ partis diei &c. loquendo.

III. ☽ Singulis diebus 12. circiter gradus, consequenter singulis duabus horis unum gradum Eclipticæ conficere, adeóque etiam

in

in hoc ratum horarum à Meridie elapsarum attendendum,& gradus Declin. vel Longitudinis ☽ juxta illud supputandos esse.

IV. Quia exemplum, quod posuimus de ☉,cui pleraque Problemata accommodavimus, in ☽ catenùs difficultatem facit, quòd gradus ex Planisphærio inquirendi plerumque ejusdem extremitates contingant, ubi gradus difficilè discernuntur, ideò aliud hîc exemplum pono, nim. diem 6. Martij, quo hæc scribo, incidentem in Dominicam I. Quadragesimæ.

V. Sicut in ☉ Longitudinem ejusdem accepimus à proximo Æquinoctio, ita in ☽ eam ordinariè sumimus à proximo Tropico.

VI. Denique ut aliqualiter saltem tempus Ortûs vel Occasûs ☽ sciatur, modum ejusdem faciliorem ex Planisphærio præmittimus sequentem. Sit itaque

PROBLEMA CXXXII.

Horam ☽ seu Distantiam illius à Meridie in Ortu & Occasu ejusdem explorare.

In Planisphærio

Si quæras Horam Ortûs vel Occasûs ☽, pone filum ad Horizontem; hoc enim in Parallelo Declinationis ☽ v. g. in nostro exemplo 9. gr. 18. min. ubi scil. filum intersecat, exhibebit pro Ortu ejusdem H. 5. cum 18 circiter min. horarijs, adeóque paulò plus, quàm Quadrantem post H. 5. pro Occasu verò H. 6. cum 42. min. seu paulò minus, quàm tertium Quadrantem ad H. 7. His positis, quære in Calendario Ætatem ☽ numerando dies à Novilunio, & siquidem hoc contingat ante Meridiem, computando etiam ipsum diem Novilunij, omittendo autem, si primùm contingat post Meridiem. Habitâ ergò Ætate ☽ v. g. in nostro exemplo diem 5. & invenies in Tabula sequente dictæ Ætati ☽ correspondentes 4. gr. cum 2. min. qui additi H. 6. v. g. Occasûs ☽ cum 42. min. dabunt H. 10. cum aliquot minutis, quæ hîc, quousque modum idem exactiùs inveniendi tradamus, scrupulosiùs haud inquirenda, & juxta dicta ratum temporis à Meridie præterito usque ad punctum Novilunij negligendum non est.

Ætas ☽ ſeu Dies ab uno Novilunio ad alterum numerandi.		Horæ ☉ Horis ☽ addendæ. H.	M.
	15.	0.	0.
1.	16	0.	49.
2.	17.	1.	37.
3.	18	2.	25.
4.	19.	3.	13.
5.	20.	4.	2.
6.	21.	4.	52.
7.	22	5.	37.
8.	23.	6.	29.
9.	24.	7.	13.
10.	25	8.	5.
11.	26.	8.	56.
12.	27.	9.	45.
13.	28.	10.	33.
14.	29.	11.	10.

Quòd ſi ſciatur ſolùm Signum ☽, tunc Parallelo Signi addendi ſunt gradus Latitudinis ☽ ſursùm, ſi Latitudo eſt Borealis, vel deorsùm, ſi eſt Auſtralis, & Parallelus ibi tranſiens notabit in Horiz. Horam ☽, quâ habitâ habetur etiam Hora ☉ ex præſenti Tabula modo prædicto.

PROBLEMA CXXXIII.

Quovis tempore, etiam extra Ortum & Occasum, Horam ☽ ex Planisphærio deprehendere.

Filum applica in Limbo Altitudini ☽ Quadrante, vel alio quovis modo obseruatæ v. g. 35. gr. 30. min. & dictus Parallelus Declinationis ☽ 9. gr. 18. min. in puncto intersectionis cum filo monstrabit H. 9. cui si addas 4. gr. 2. min. suprà ex Tabula inventos, dabunt 13. horas, seu H. 1. pomeridianam, & sic de alijs loquendo.

PROBLEMA CXXXIV.

Datâ Declin. ☽ & Elevatione Poli, Horam Ortûs post ☍. seu Plenilunium, vel Horam Occasûs post ☌. seu Novilunium determinare.

Solent Astronomi non utrumque, id est, tam Ortum, quàm Occasum ☽ in suis Calendarijs ponere, sed tantùm alterutrum, nim. Ortum Vespertinum post Plenilunium, & in proximo Quadrante Ortum Matutinum; post Novilunium verò Occasum Vesperti-

num.

num, & in sequenti Quadrante Occasum Matutinum. Utrumque ergò invenire docet præsens Problema, cujus resolutio ut ritè instruatur, observandum est I. ex Probl. 132. Horam occasûs ☽ circiter H. 10. vespertina contingere, adeóque juxta superiùs dicta ☽ à Meridie præterito jam 5. gradus Eclipt. absolvisse, consequenter locum ☽ 2. gr. 19. min. ♉. in laudatis Calendarijs vel Ephemeridibus inventum 5. gradibus augendum esse, sícque provenire 7. gr. 19. min. ♉. II. Declinationem ibidem expressam, attentâ Differentiâ diei 6. Martis nobis propositi cum septimo seq. fore 10. gr. 38. min. Latitudinem verò proportionaliter 3. gr. 34. min. III. Supponendum ex instituto adhuc dicendis, Ascensionem Rectam ☽ juxta dictam supputationem fore ab ♈. 36. gr. 8. min. Ascensio denique Recta ☉ hîc etiam scitu necessaria pro rata temporis erit 347. gr. 9. min. His suppositis

L. T. Elev. Poli	1004556. &
L. T. Declin. ☽	927357.
S. T.	x. 931913.

residuum erit L. S. Dist. ☽ ab H. 6. nim. 12° 2′ 8″. hujus verò Compl. 77° 57′ 52″. ☽ Oriente vel Occidente post H. 6 dat Dist. ☽ à Culmine, infra H. 6. verò, ut in nostro exem-

exemplo, Distantia ☽ ab H. 6. addita 90. gradibus, producet Distantiam ☽ à Culmine, nim. 102° 2′ 8″. & hoc ipso etiam Arcum semidiurnum.

Jam si ☽ est in Parte Occidentali, sicut in nostro casu, dicta Dist. à Culm. addita Asc. Rectæ ☽ (vel Orientali subtracta) dat Ascensionem Rectam Medij Cœli. Ab hac (auctâ 360. si necesse est) si subtrahatur Ascensio Recta ☉, restabit Distantia ☉ à Meridie præterito, quæ in tempus conversa dabit Horam Astron. quæque simul erit Hora Ortûs vel Occasûs ☽.

Itaque in nostro exemplo supputatio isthæc taliter instituitur.

	°	′	″
Dist. ☽ à Culmine	102.	2.	8. &
Asc. Rect. ab ♈.	36.	8.	—
erit Asc. R. Med. Cœli.	138.	10.	8.
ab hac auctâ 360. adeóque	498.	10.	8.
Asc. Recta ☉	—347.	—9.	—
	151.	—1.	8.

quæ erit Distantia ☉ à Meridie præterito. Hæc in horas conversa dabit Horam Astron. 10. cum 4. min. quibus si addantur 3. minuta juxta Diff. inter Ortum & Occasum Planetarum pro Elev. Poli 47. gr. 30. min. qui-

quibus accommodatæ sunt dictæ Ephemerides, provenient 7. minuta ibidem expressa.

PROBLEMA. CXXXV.

Ascensionem Rectam ☽ ex Longitudine, Latitudine, & Compl. Declin. ejusdem perscrutari.

Long. ☽ à prox. Tropico est 57. gr. 41. min. Compl. Latitudinis 86. gr. 47. min. Compl. Declin. 80. gr. 42. min. Jam

L. S. Long. à prox. Tropico	992691. &
L. S. Compl. Latitudinis	999931.
	1. 992622.
L. S. C. Declin.	— 999425.
	993197.

qui erit L. S. Ascens. Rectæ ☽ à prox. Tropico scil. 58. gr. 45. min. cujus Compl. 31. gr. 15. min. est Ascensio Recta ab ♈.

In Planisphærio

Axin applica ad Compl. Latit. ☽ 86. gr. 47. min. filum verò pone ad Long. à prox. Tropico 57. gr. 41. min. in linea Axis, filum-

lúmque in Axi monstrabit Ascens. Rectam à prox. Tropico 58. gr. 45. min.

PROBLEMA CXXXVI.

Eandem Ascensionem Rectam ☽ à prox. Tropico ex Compl. Declin. & Latitudinis ejusdem, ac Declin. Maxima statuere.

Hæc tria addantur, scil.
Compl. Lat. subtrahendo Latitudinem ☽ ex 90. vel addendo ad 90. si Latitudo est Australis, & Declinatio Borealis, ut in nostro casu, vel viciſſim hoc modo:

Compl. Lat. ☽	93. gr.	13. min.
Declin. Max.	23.	30. &
Compl. Declin. datæ	80.	42.
	197.	25.
Hæc Summa dividatur per 2.		
& prodibunt	98.	42. 30.
Compl. Lat.	−93.	13.
erit Differentia Semiss.	5.	29. 30.

Jam

L.

L. S. Semissis	999497.	
L. S Differentiæ	898091.	&
Compl. Arith. 23. gr. 30. min	039930.	
	1.937518.	
L. S. C. Decl. datæ	— 999425.	
resid. addito S. T.	1.938093.	
dividatur per	2.	
	969047.	

hócque ultimum productum erit L. S. Semissis graduum Ascens. Rectæ ☽ à proximo Tropico, nim. 29. gr. 22. min. qui proin duplicati dant totam Summam graduum Ascens. Rectæ quæsitæ, videl. 58. gr. 44. min. modica enim differentia in minutis, ob multiplices Operationes intervenientes hîc attendi non debet, ut sæpiùs dictum.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. versùs sinistram, filum ad Lat. ☽ 3. gr. 13. min. supra Horizontem, si est Borealis, infra eundem verò, si est Australis, uti hîc, & filum in Parallelo Declin. ☽ 9. gr. 18. min. indicabit Circulum horar.

tran-

transeuntem per Ascensionem Rectam à Limbo, nim. 58. gr. 45. min.

PROBLEMA CXXXVII.

Prædictam Ascensionem Rectam ☽ à Tropico ex Longit. ☽ à prox. Tropico, Complemento Declin. datæ, ac Declin. Maxima deducere.

Long. ☽ à prox. Tropico est 57. gr. 41. min. Complementum verò Declin. datæ 80. gr. 42. min. & Declin. Max. 23. gr. 30. min. His positis

L. S. C. Declin. Max.	996239. &
L. T. Long. à prox. Tropico	1019888.
S. T.	— 2016127.
	1016127.

& residuum erit L. T. Inv. I. nim. 55. 24. 6. (° ′ ″)

L. T. Declin. Max.	963830.
L. S. Inv. I.	991547.
	1.955377.
L. T. C. Decli. datæ	— 1.078580.
	876797.

erítque hic L. S. Inv. II. videl. 3. 21. 36. (° ′ ″)

Gra-

	° ′ ″
Gradus Inv. I.	55. 24. 15. &
Inv. II.	3. 21. 36.
	58. 45. 40.

quæ Summa dabit Ascens. Rectam ☽ quæsitam, non attentis rigorosè secundis.

In Planisphærio

Filum pone ad Declin. ☽ 9. gr. 18. min. infra Horizontem, si est Australis, supra Horizontem verò, si est Borealis, uti hîc, Axin versa ad Complem. Declin. Maximæ dextrorsùm; tum granum fige in Circulo horario Longitudinis ☽ à prox. Tropico 57. gr. 41. min. Axin eleva ad 90. & granum in Circulo hor. dabit Ascens. Rectam quæsitam, scil. 58. gr. 45. min.

PROBLEMA CXXXVIII.

Eandem Ascensionem Rectam ☽ ex Compl. Long. à prox. Tropico, Compl. Latitudinis, ac Declinatione Maxima desumere.

Compl. Long. est 32. gr. 19. min. Compl. Lat. verò 86. gr. 47. min. & Declin. Maxima 23. gr. 30. min. Hinc

L.S.C.Long. prædictæ / L.T. Compl. Latitud. { 972802. & 1125026.

S. T. — 2097828.

1097828.

qui erit L. T. Inv. I. nim. 84. gr. proximè; hi additi Decl. Maximæ, si ☽ est in Signis Australibus, vel etiam si sola Latitudo est Australis, uti hic, dabunt Inv. II. secùs ipsa Differentia unius ab alio, adeóque in nostro casu { 84. —. 23. 30.

107. 30.

L. S. Inv. I. / L.T.Long. à prox.Trop. { 999761. & 1019888.

2019649.

L. S. Inv. II. — 997941.

1.021708.

qui erit L. T. Ascens. Rectæ, nim. 58. gr. 45. min.

In Planisphærio

Axin constitue in Vertice 90. filum ad Lat. 3. gr. 13. min. in Limbo infra Horizontem, si est Australis, uti in nostro casu, supra verò, si est Borealis, tum granum fige in

Cir-

Circulo hor. Long. 57. gr. 41. min. Axin autem revolve ad Compl. Declin. Maximæ, & granum in Circulo hor. notabit Ascens. Rectam 58. gr. 45. min.

PROBLEMA CXXXIX.

Datâ Ascensione Rectâ, & Compl. Latitudinis ☽ inquirere Compl. Declin. ejusdem.

Ascens. Recta ☽ à prox. Tropico inventa est 58. gr. 45 min. Latitudo verò 3. gr. 13. min. Jam

L. S. C. Latitud.	999931. &
L. S. Long. à prox. Trop.	992691.
	1.992622.
L. S. Asc. R. à pr. Trop.	— 993197.
	999425.

residuum erit L. S. C. Declin. nim. 80. gr. 42. min.

In Planisphærio

Axin statue ad Compl. Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. filum ad Latit. 3 gr. 13. min. in Limbo supra Horizontem, si est Borealis, si autem est Australis, uti in nostro

casu, infra Horizontem, filúmque in Circulo hor. Ascens. Rectæ 58. gr. 45. min. monstrabit Parallelum Declinationis ☽ 9. gr. 18. min.

PROBLEMA CXL.

Declinationem ☽ ex Compl. Ascens. Recta, & Latitudine ejusdem, ac Declinatione Max. colligere.

o / o

/ Compl. Ascens. Rectæ est 31. 14. Lat. 3. 13. & Declin. Max. 23. gr. 30. min. Itaque

L. S. C. Asc. Rectæ {9714?7. &
L. T. Declin. Max. {963830.

S. T. 1. 93532?.

qui erit L. T. Inv. I. nim. 12. gr. 43. min. proximè.

L. S. C. Inv. I. {998921. &
L. S. Latitudinis {874905.

1873826.

L. S. C. Declin. Max. 996239.

877587.

eritque residuum L. S. Inv. II. scil. 3. gr. 25. min.

Dis-

Differentia igitur utriusque Inventi, si Lat. est Meridionalis, uti hîc, vel etsi Latitudo sit Borealis, ☽ tamen sit in Signo Australi, dabit Declinationem, hoc modo:

Inv. I.	12.	gr.	43.	min.
Inv. II.	—3.		25.	
	9.	gr.	18.	min.

Si autem ☽ est in Signo Boreali, tunc Summa graduum utriusque Inventi indicabit Declin. quæsitam.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Declin. Max. 66. gr. 30. min. filum verò ad Latitudinem in Limbo supra Horizontem, si sit Borealis, si autem Meridionalis, uti hîc, infra Horizontem, & filum in Circulo horario Complementi Ascens. Rectæ 31. gr. 14. min denotabit Declin. 9. gr. 18. min.

PROBLEMA CXLI.

Declinationem ☽ ex Latitudine & Longitudine ejusdem à prox. Æquinoctio eruere.

Lat. ☽ 3. gr. 13. min. Long. 32. gr. 19. min.

min. Compl. Declin. Max. 66. gr. 30. min. Igitur

S. T & L. S. Dist. à prox. Æq.	1.972802.
L. T. C. Declin. Max.	— 1.036169.
	936633.

qui erit L. T. Inv. I. nim. 13. 5. 10.

Gradus Inv. I. in Signis Australibus adde, in Borealibus verò, uti hîc, subtrahe à Compl. Latitudinis, quod habetur, si Latitudo est Borealis, eam subtrahendo ex 90. si verò Latitudo est Australis, sicut in nostro exemplo, addendo Latitudinem ad 90. adeóque

	°	′	″
Complem. erit	93.	13.	—
Inv. I.	— 13.	5.	10.
	80.	— 7.	50.

Productum hoc erit Inv. II. cujus Compl. erit 9. 52. 10.

L. S. C. Inv. II.	923401.
L. S. C. Declin. Max.	996239.
	1.919712.
L. S. C. Inv. I.	— 998856.
	920[illegible].

residuum erit L. S. Declin. quæsitæ, nim. 9. gr. 18. min. proximè.

In

In Planiſphærio

Axin conſtitue in vertice 90. filum applica ad gradum Lat. 3. 13. min. granum verò fige in Circulo horario Longitudinis 57. gr. 41. min. à Limbo; interim Axin reduc ad Complementum Declin. Max. 66. gr. 30. min. ſiniſtrorsùm, & granum dabit Parallelum Declinationis ☽ 9. gr. 18. min.

PROBLEMA CXLII.

Complementum Declin. ☽ ex Aſcenſione ejusdem, & Longit. à prox. Tropico, ac Declin. Maximâ inveſtigare.

Aſcenſio Recta ☽ eſt 58. gr. 45. min. Longitudo 57. gr 41. min. Declinatio Max. 23. gr. 30. min. adeóque ejus Compl. 66. g. 30. min. Itaque

L. S. C. Declin. Max.	996239. &
L. T. Longit. à prox. Trop.	1019888.
S. T.	2016127.
	° ′

eritque L. T. Inv. I. videl. 55. 24.
Gradus Inv. I. in Signis Borealibus addantur

Ascensioni Rectæ à prox. Æquin. 31. gr. 15. min. uti hic

	° ′
	55. 24.
	31. 15.
	86. 39.

In Australibus subtrahantur. Productum erit Inv. II.

L. T. Declin. Max.	9638 30.
L. S. Inv. I.	991547.
	1955377.
L. S. Compl. Inv. II.	—876667.
	1078710.

residuum erit L. T. Com. Declin. scil. 80. 43. ° ′ proximè.

In Planisphærio

Axin pone ad Longitudinem à prox. Trop. seu Limbo scil. 57. 41. ° ′ filum ad Declinationem Maximam 23. 30. ° ′ in Axi, Axin revolve ad locum fili in Limbo, filum deprime infra Horizontem ad Longitudinem à prox. Æquinoctio 32. gr. 19. min. in Limbo, filum in Æquatore ab extremitate dat Inv. I. scil. 55. gr. 24. min. horum Complementum adde, vel subtrahe Ascensioni Rectæ à ♋. juxta

ta dicta, eritque Inv. II. 86. gr. 39. min. Filum deprime infra Horizontem ad Inv. II. in Æquatore ab extremitate, Æquatorem pone ad locum fili, & filum ad locum Axis prius bene notandum, filum in Axi à Centro dabit Complementum Declinationis.

PROBLEMA CXLIII.

Data Longitudine & Declinatione invenire Latitudinem ☽.

Longitudo ☽ à prox. Æquin. 32°. 19′.

Declinatio 9°. 18′.

L. S. Longitud. à prox. Æquin. {972802.
L. T. Declin. Max. {963830.

S. T. x.936632.

residuum erit L. T. Inv. I. 13°. 5′. 9″.

L. S. Compl. Inv. I. {998856.
L. S. Declin. {920845.

1919701

L. S. Compl. Declin. Max. —996239.

923462.

eritque L. S. Inv. II. cujus Complementum

80. gr. 8. min. additum gradibus Inv. I. 13. gr. 5. min. dabit Latitudinem Lunæ 93. gr. 13. min. adeóque 90. abjectîs Meridionalem.

In Signis verò Australibus subtrahatur, nisi Declinatio pariter sit Australis.

In Planisphærio

Axin pone ad Verticem 90. filum ad Declin. ☽ infra Horizontem, si est Australis, vel supra, si est Borealis, granum fige in Circulo horario Long. à proximo Tropico 57. gr. 41. min. eam numerando à Limbo sinistro; tum Axin verte ad Complementum Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. & granum in Parallelo, quem contingit, indicabit Lat. Borealem supra Æquatorem 3. gr. 13. min. Australem verò infra eundem.

PROBLEMA CXLIV.

Complem. Latitudinis ☽ ex Ascens. ejusdem Recta à prox. Tropico, Complemento Declinationis, & Longitudine à prox. Tropico perscrutari.

Ascens. Recta ☽ est 58. gr. 45. min. Compl. De-

Declinationis 80. gr. 42. min. Longitudo ☽ 57. gr. 41. min. Jam

L. S. C. Longit.	999425. &
L. S. Asc. Rectæ à prox. Trop.	993192.
	1. 992617.
L. S. Long. à prox. Trop.	— 992691.
	999926.

Residuum erit L. S. Complementi Lat. circiter, nim. 86. gr. 40. min. quòd autem aliàs ponamus 47. min. differentiam faciunt Minuta secunda in Ephemeridibus omitti solita, quæ in Complementis ejusmodi majoribus non solummodò minuta, sed etiam unum & alterum gradum importare possunt, prout tentanti facilè apparebit.

In Planisphærio

Axin verte ad Compl. Declin. 80. gr. 42. min. filum ad Ascens. Rectam ☽ 58. gr. 45. min. in Axi, Axin reduc ad Longit. à prox. Tropico 57. gr. 41. min. & filum in Axi dabit Compl. Lat. 86. gr. 47. min.

PRO-

PROBLEMA CXLV.

Complementum Latitudinis ☽ ex Declinatione, & Longitudine ejusdem à prox. Æquinoctio deducere.

Declinatio ☽ est 9. gr. 18. min. Longitudo 32. gr. 19. min. Igitur

S. T. & L. S. Long. ☽ à prox. Æq. 1. 972802.
L. T. C. Declin. Max. — 1. 036169.

936633.

qui erit L. T. Inv. I. nim. 13° 5′ 9″ Dein
L. S. C. Inv. I. 998856. &
L. S. Declin. ☽ 920845.

1. 919701.
L. S. C. Declin. Max. — 996239.

923462.

residuum erit L. S. Inv. II. nim. 9. gr. 53. min. cujus Compl. 80. gr. 7. min. in Signis Borealibus addatur Inv. I. nisi Declinatio sit Australis, in Signis verò Australibus subtrahatur, nisi Declinatio sit Borealis, consequenter in nostro exemplo

Gra-

	°	′	″
Gradus Inv. I.	13.	5.	9.
& gr. C. Inv. II.	80.	7.	——.

& proveniunt 93. 12. 9. qui subtracti ex 180. relinquunt Compl. Latit. Merid. 86. gr. 47. min.

In Planisphærio

Axin applica Complemento Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. filum verò Declinationi in Limbo 9. gr. 18. min. filúmque in Circulo horario Longitudinis 57. gr. 41. min. à Limbo dextro dabit Latitud. Australem infra Æquatorem 3. gr. 13. min.

PROBLEMA CXLVI.

Eandem Latitudinem ☽ ex Latitudine Maxima, & Distantia ejus à proximo Nodo, seu Capite vel Cauda Draconis invenire.

Lat. Max. ☽ supponitur hîc 5. gr. 26. min. Distantia à prox. Nodo 37°. 34′. 45″. Itaque

L. S. Dist. à prox. Nodo {978522. &
L. S. Lat. Max. {896383.

S. T. 1. 874905.
residuum erit L. S. Lat. ☽ 3. gr. 13. min.

In Planisphærio

Axin pone ad Dist. à proximo Nodo 37. gr. 34. min. filum move ad Lat. Max. in Axi 5 gr. 16. min. filum in Limbo dat Latitudinem 3. gr. 13. min.

PROBLEMA CXLVII.

Latitudinem Max. ☽ ex Latitudine & Distantia ejusdem à prox. Nodo enodare.

	°	′	″
Dist à proximo Nodo est	37.	34.	45.

Lat. 3. gr. 13. min. Nunc ergò

L. S. Lat. datæ, & S. T.	1. 874905.
L. S. Dist. à prox. Nodo	—978522.
	896383.

eritque L. S. Lat. Maximæ, nim. 5. gr. 16. min. 45. sec.

In

In Planisphærio

Axin pone ad Dist. ☽ à prox. Nodo 37. gr. 34. min. filum verò ad Lat. datam, 3. gr. 13. min. in Limbo, filúmque in linea Axis dat Latitudinem Max. 5. gr. 16. min. 45. sec.

PROBLEMA CXLVIII.

Distantiam à prox. Nodo ex Lat. Maxima, & Lat. data assignare.

Lat. Maxima ☽ est 5. gr. 16. min. Lat. data 3. gr. 13. min. Itaque

L. S. Lat. datæ, & S. T.	1.874905.
L. S. Lat. Maximæ	896383.
	978522.

qui erit L. S. Dist. à prox. Nodo, nim.

° ′ ″
37. 34. 45.

In Planisphærio

Axin pone ad Lat. Maximam 5. gr. 16. min. filum autem ad Lat. datam in Limbo, 3. gr. 13. min. filúmque in Axi dabit Dist. à prox. Nodo quæsitam 37. gr. 34. min.

PRO-

PROBLEMA CXLIX.

Longitudinem ☽ ex Ascensione ejusdem Recta à prox. Tropico, & Compl. Latitudinis & Declinationis arguere.

Asc. Recta ☽ est 58. gr. 45. min. Compl. Lat. 86. gr. 47. min. Compl. Declin. 80. gr. 42. min. Igitur

L. S. Ascens. Rectæ	993192. &
L. S. Compl. Declin.	999425.
	1 992617.
L. S. Compl. Latitud.	— 999931.
	992686.

Resid. erit L. S. Longit. ☽ à prox. Tropico, nim. 57. gr. 41. min. proximè.

In Planisphærio

Axin colloca ad Compl. Declinationis 80. gr. 42. min. filum ad Ascens. Rectam à prox. Tropico 58. gr. 45. min. Axin verò revolve ad Compl. Latitudinis 86. gr. 47. min. & filum in linea Axis dabit Longit. à prox. Tropico 57. gr. 41. min.

PRO-

PROBLEMA CL.

Longitudinem ☽ ex Compl. Declin. & Latitudinis ejusdem, ac Declinatione Max. inferre.

Complementum Latitudinis habetur, si hæc subtrahatur ex 90. nisi Lat. sit Australis, & Declinatio Borealis, uti fit in nostro exemplo, vel vicissim, tunc enim addenda est Latitudo ad 90. Hoc notato, addantur hæc tria, videlicet

Compl. Latit. in casu nostro	93. gr.	13. min.
Compl. Declin. datæ	80.	42.
& Declinatio Max.	23.	30.
	197.	25.
Summa dividatur per	2	
eritque Semissis Summæ	98.	42.
inde verò Com. Decl. datæ	—80.	42.
quæ erit Differentia	18.	— Jam
L. S. Semissis subtractæ ex 90	999497.	
L. S. Differentiæ Semissis	948998. &	
Compl. Arith. Declin. Max.	39931.	
	1988426.	
L. S. C. Latit.	—999931.	
	1988495.	
Suma præfixâ unitate divid. per	2	
	994247.	

 hæc-

hæcque ultima semisumma erit L. S. Dimidij graduum Longitudinis 61. 9. 25. cujus duplum dat 122. gr. 19. min. proximè, quæ subtracta ex 180. relinquunt 57. gr. 41. min. pro Longitudine ☽ quæsita.

In Planisphærio

Axin accommoda Complemento Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. filum verò Latitudini ☽ 3. gr. 13. min. & quidem supra Horizontem, si Latitudo est Borealis, infra verò, si est Australis, uti hìc; tum granum fige in Circulo hor. Ascens. Rectæ 58. gr. 45. min. & Axe ad 90. reducto, granum in Circulo hor. notabit Longitudinem ☽ à Limbo 57. gr. 41. min.

PROBLEMA CLI.

Eandem ☽ Longitudinem ex Asc. Recta, Complemento Declin. datæ, & Declin. Maxima desumere.

Asc. Recta à prox. Æquin. est 31. gr. 15. min. Compl. Declinationis datæ 80. gr. 42. min. Declin. Maxima 23. gr. 30. min. Itaque

L.

L. S. Ascens. Rectæ à prox. Æq. { 971497. &
L. T. Compl, Declin, datæ { 1078580.

S. T. — 2050077.
qui erit L. T. Inv. I. 1050077.

° ' ''
nim. 72. 28. 51. his gradib; add, grad, Decl. Max 23. 30. — .

95. 58. 51. eritq; hoc Inv. II, quod subtractum ex 180, dat 84. gr. 1. min. 9. sec.

L. S. Inv. I. { 997936.
L. T. Asc. R. à prox. Trop. { 1021694.

2019630.
L. S. Inv. II. — 999763.

1019867.
qui erit L. T. Longit. ☽ quæsitæ, nim. 57. gr. 41. min. proximè.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Declin. Maximæ 66. gr. 30. min. filum verò ad punctum, in quo Parallelus Declin, datæ 9. gr. 18. min, secuerit Circulum hor. Ascens. Rectæ 58. gr. 45. min. ibique granum fige; tum Axin constitue ad verticem 90. & granum in Circulo horario indicabit Longitudinem ☽.

PROBLEMA CLII.

Longitudinem ☽ ex Ascensione Recta, ac Latitudine ejusdem, & Declin. Maxima elicere.

Ascensio Recta ☽ est 58. gr. 45. min. Latitudo 3. gr. 13. min. Declinatio Max. 23. gr. 30. min. & Compl. illius 66. gr. 30. min. His positis

L. S. C. Declin. Maximæ	996239. &
L. T. Asc. Rectæ à prox. Trop.	1021694.
S. T.	2017933.
	1017933.
	° ′ ″
Residuum erit L. T. Inv. I.	56. 30. 25.

Dein

L. T. Declin. Max.	963830. &
L. S. Inv. I.	992113.
	1.955943.
L. T. C. Latitudinis	1.125026.
	830917.

Residuum erit L. S. Inv. II. nim. 1. 10. 3. (° ′ ″)
Gradus Inv. I. & II. in Signis Australibus addantur, in Borealibus verò subtrahantur, ni-

si

si Latitudo sit Australis, uti contingit in casu nostro, in quo proinde

		/	//	
Gr. Inv. I.	56.	30.	25.	&
Gr. Inventi II.	—1.	10.	3.	
	57.	40.	28.	

adeóque exhibent Longit. ☽ quæsitam 57. gr. 41. min. propè verum.

In Planisphærio

Axin verte ad Compl. Declin. Maximæ *66.* gr. 30. min. filum ad Latitudinem ☽ 3. gr. 13. min. in Limbo supra Horizontem, si Lat. est Borealis, vel infra, si est Australis, uti hîc, granum verò fige in Circulo horario Asc. Rectæ ☽ 58. gr. 45. min. & Axe ad 90. reducto, granum in Circulo hor. monstrabit Longitudinem ☽ quæsitam 57. gr. 47. min.

PROBLEMA CLIII.

Distantiam ☽ à Meridie, ex Dist. ☉ à Meridie præterito, ac Ascensione Rectâ utriusque colligere.

Distantia ☉ à Meridie præterito ponitur hîc esse 75. gr. Asc. ejusdem Recta 346. gr.

 50.

50. min. Asc. verò Recta ☽ 31. gr. 15. min. Jam

Ascensioni Rectæ ☉ adde ejusdem Distantiam à Meridie præterito, eritque Asc. Recta Medij Cœli; ab hac auctâ 360. si necesse est, subtrahe Asc. Rectam ☽, restabitque Distantia ☽ à Meridie præterito, rejectis scil. 360. si excedit. Sic in exemplo posito

Asc Recta ☉	346. gr.	50. min. &
Dist. ☉ à Meridie	75.	00.
	421.	50.
Asc. Recta ☽	31.	15.
	390.	35.

Residuum, subtractis 360. erit Dist. ☽ à Meridie, videl. 30. gr. 35. min.

In Planisphærio

A puncto Asc. Rectæ ☉ in linea Æquatoris numera antrorsùm gradus Distantiæ ☉ à Meridie præterito, & habebis Asc. Medij Cœli; ab hac denuò retrorsùm numera gradus Ascens. Rectæ ☽ & incides in Dist. ☽ à Meridie.

PRO-

PROBLEMA CLIV.

Datâ Dist. ☽ à Meridie, & Ascens. Rectâ tam ☉ quàm ☽ Distantiam ☉ à Meridie deducere.

Dist. ☽ à Meridie ponitur hîc esse 30. gr. 35. min. Ascensio ejusdem Recta 31. gr. 15. min. Ascensio Recta ☉ 346. gr. 50. min.

Gradus itaque Distantiæ ☽ à Meridie subtrahe ab ejus Asc. Recta, si ☽ est Orientalis, vel si est Occidentalis, uti hîc, adde, & habebis Asc. Rectam Medij Cœli, ab hac autem auctâ 360. gr. si necesse est, subtrahe Asc. Rectam ☉, & dabitur Dist. ☉ à Meridie præterito. Sic in exemplo dato

	gr.	min.
Dist. ☽ à Meridie	30.	35.
Asc. Recta ☽	31.	15.
erit hæc Asc. R. M. Cœli	61.	50.
Ab hac aucta	360.	
	421.	50.
Asc. Recta ☉	—346.	50.
	75.	00.

eritque Dist. ☉ à Meridie Hora 7. vespertina.

In Planisphærio

Ab Ascens. Recta ☽ numera in Æquatore (secundùm ordinem Signorum, si ☽ est Orientalis, vel contra ordinem illorum, si est Occidentalis) gradus Dist. ☽ à Meridie, & habebis Mediationem Cœli 61. gr. 50. min. abhinc si contra ordinem Signorum numeres gradus Ascens. Rectæ ☉ 346. 50. min. invenies gradus Dist. ☉ à Meridie 75.

Circa hæc Problemata Lunaria sine numero multiplicabilia, ut tempori, & chartæ parcamus, obiter solummodò adhuc observo

I. Ut ex Hora Lunari v. g. inveniatur ejus Altitudo, Azimuth &c. vel viciſsim, eodem modo procedendum esse, sicut supra in Problematibus Solaribus indicatum est.

II. Quæcunque dicta sunt de ☽, eodem prorsùs modo reliquis Planetis, imò etiam Cometis ac Stellis Fixis applicari posse.

III. Denique cùm ex dictis locus, vel etiam Ascensio tam ☉ quàm ☽ per Calculum æquè, ac ex ipso Planisphærio inveniatur, haud difficile erit, etiam Novi- & Plenilunia, imò etiam ipsas Eclipses suo modo ex Planisphærio invenire posse; quando enim ☉ & ☽ eundem in Ecliptica locum obti-

nent.

nent, adeóque etiam in Ascensione Recta conveniunt, erit Novilunium, si verò inveniuntur esse in Signis oppositis, adeóque distare 180. gr. erit Plenilunium; & siquidem utrumque contingat in Nodis ☽ seu Capite, ut vocant, vel Cauda Draconis (quod ex Calendarijs sciri poterit) hoc ipso fiet Eclipsis, Solaris quidem in Novilunio, Lunaris verò in Plenilunio. Nunc ad Problemata Horographica, ut promissis stemus, pergendum erit. Sit itaque

PROBLEMA CLV.

Per Planisphærium in Plano Horizontali dato Azimuth, Lineam Meridianam describere.

Ultra 9. modos in I. Parte fol. 123. & seqq. assignatos, promisimus ibidem fol. 129. inferiùs adhuc ostendere, quomodò Linea Meridiana ex ipso Planisphærio erui possit, quod proinde hîc breviter præstamus. Itaque Axe Planisphærij in Horizonte constituto, in Centro ipsius perpendiculariter erigatur stylus, vel Centro ejusdem imponatur Corpus v. g. lineale quadratum Plano illius perpendiculariter insistens, & Planisphærium tamdiu hinc inde vertatur, donec stylus

vel Corpus perpendiculare prædictum gradum Azimuth aliunde inventum umbrâ suâ perfectè attingat, hoc ipso enim linea Axis, & consequenter etiam latus Planisphærij in præfato situ eidem parallelum exhibebit Lineam Meridianam.

PROBLEMA CLVI.

Inventâ, ac in Plano Horizontali descriptâ Lineâ Meridianâ, Azimuth quovis tempore dicto citiùs reperire.

Planisphærio inventæ Lineæ Meridianæ applicato, stylus vel Corpus perpendiculare Centro ejusdem insistens gradum Azimuth in Limbo singulis momentis exhibebit, magno certè & ad plurimas Operationes utili compendio.

PROBLEMA CLVII.

Datô Azimuth à Meridie Declinationem Plani Verticalis v. g. Muri Planisphærio explorare.

Planisphærium stylo perpendiculari, ut suprà, instructum secundùm latus, ubi Arcus Signorum ac Mensium descripti inveniuntur, Mu-

Muro applicetur, & siquidem umbra Styli gradum Azimuth aliunde inventum perfectè attingat, nulla erit Declinatio; si nondum attingit, Declinatio Muri erit versùs Occasum tot graduum, quot gradibus à dato Azimuth adhuc distat linea umbræ; si verò excedat gradus Azimuth dati, Declinatio Muri erit versus Ortum totidem gradibus.

PROBLEMA CLVIII.

Datâ Declinatione Muri invenire Altitudinem Styli supra Lineam Substylarem.

Ponamus, Declinationem Muri inveniri 40. gr. versùs Ortum. Jtaque

L. S. C. Elevat. Poli	982551. &
L. S. C. Declin. Muri	988425.
S. T.	x. 970976.

residuum erit L. S. Altitudinis Styli nim.
o ' ''
30. 50. 11.

In Planisphærio

Ad Elevat. Poli disposito filum deprime, donec in linea Æquatoris, seu Ascensionum Rectarum gradum Declin. Muri 40. attingat, filúm-

filúmque in Limbo dabit Altitudinem Styli, scil. 30. gr. 50 min.

PROBLEMA CLIX.

Datâ Altit. Styli indagare Distantiam Lineæ Substylaris à Meridionali.

Altitudo Styli fuit 30° 50′ 11″. Elevatio Poli verò supponitur 48. gr. Jam

L. S. Elev. Poli & S. T.	1 987107.
L. S. C. Alt. Styli	— 993380.
	993727.

residuum erit L. S. C. Dist. Substylaris à Linea Meridiana nim. 59° 56′ 30″, atque adeò ipsa Distantia erit 30° 3′ 30″.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Alt. Styli 59. gr. 10. min. proximè, filum ad Elevationem Poli, 48. gr. filúmque in linea Axis notabit Compl. Distantiæ Substylaris à Meridiana 59. gr. 56. min.

PRO-

PROBLEMA CLX.

Datâ Distantiâ Lineæ Substylaris à Meridianâ, deprehendere Horam, per quam transit Linea Substylaris.

Dist. Substylaris fuit 30. 3. 30. Alt. Styli verò 30. 50. 11. Nunc ergò

L. T. Dist. Substylaris & S. T.	1.976246.
L. S. Alt. Styli	– 970976.
	1.005270.

qui erit L. T. Dist. Substylaris à Meridie seu Horæ prædictæ nim. 48. 28. 5. qui est tertius quadrans ad H. 9. proximè.

In Planisphærio

Axin pone ad Altit. Styli 30. gr. 50. min. filum ad Distantiam Substylaris à Meridiana, seu à linea H. 12. in Limbo, & in eodem gradu Limbi dextrorsùm fige gemmam, filóque ad Horizontem reducto, gemma in Circulis hor. à Limbo dabit Dist. quæsitam Substylaris à Meridie, seu Horam, per quam transit, Matutinam quidem, si Declinatio Muri

est

est Orientalis, uti hîc, Vespertinam verò, si est Occidentalis.

PROBLEMA CLXI.

Distantias omnium Horarum à Linea Substylari, ex Altitudine Styli, & Distantiâ hor. communiter 15. gr. computatâ, determinare.

Alt. Styli est 30. gr. 50. min. Distantia hor. Lineæ Substylaris v. g. ab H. 10. juxta communem horarum pro 15. gradibus computationem est 18. 28. 5. (° ′ ″) Itaque

L. S. Alt. Styli	970976., &
L.T. Dist. horar. Lin. Substyl.	952370.
S. T.	x. 923346.

residuum erit L. T. Distantiæ Substylaris à Verticali H. 10. quæsito, nim. 9. 42. 50 (° ′ ″)

In Planisphærio

Supponatur Limb⁹ dexter esse Linea Substyl.; ab hoc ergò in Circulis hor. quæratur Dist. hor. communis à Linea Substylari v. g. 18. gr. 28. min. ibíque fige granum. Filum dein eleva,

do-

donec granum attingat ipsum Limbum, & gradus à grano attactus in Limbo indicabit Dist. Substylaris à Verticali H. 10. nim. 9. gr. 43. min. proximè.

PROBLEMA CLXII.

Mensurare Arcus singularum horarum pro Horologijs Horizontalibus.

L. T. Dist. ☉ à Meridie v. g. H. 2. Pomerid. seu 30. gr. {9761343. &
L. S. A. P. {9871O7.

S T. x. 963250.
residuum erit L. T. Arcûs H. 2. quæsiti
o / //
nim. 23. 13. 17.

In Planisphærio

Ad Elev. Poli directo, accipe in lineà Horizontali Circino Dist. Arcûs v. g. H. 2. quæsiti à Meridie seu Limbo, háncque Distantiam, seu Circini aperturam applica gradibus Æquatoris ab ♈. seu Extremitate, & incides in dictos 23. gr. 13. min.

PRO.

PROBLEMA CLXIII.

Mensurare Arcus singularum horarum pro Horologijs Verticalibus.

L. T. Dist. ⊙ à Meridie v. g. H. 2. Pomerid. seu 30. gr. {9761433. &
L. S. C. Elev. Poli {9822551.

S. T. 2. 9586940.
eritque residuum L. T. Arcûs H. 2. quæsiti, nim. 21. 7. 20.

In Planisphærio

Fiat, ut in Problemate præcedenti, hoc solo excepto, quòd Axis hîc dirigatur ad Compl. Alt. Poli 42. gr.

PROBLEMA CLXIV.

Ope Planisphærij Horologium Horizontale describere.

Inventâ ac descriptâ Lineâ Meridianâ

in Plano Horizontali, ex quodam ejusdem puncto describe Circulum Limbo Planisphærij æqualem, & per centrum hujus Circuli duc Lineæ Meridianæ perpendicularem, quæ erit Linea H, 6. tum Planisphærio ad Elevationem Poli disposito, filóque ad Horizontem reducto, granum fige in puncto, ubi Arcus Horæ v. g. 2. inscribendæ filum secat, filúmque sursùm promove, donec granum Planisphærij Limbum attingat, & abscindet ibidem 23. gr. 13. min. qualem nimirùm in Probl. 162. invenimus esse Distantiam Arcûs Horæ 2. Tot itaque gradus cape in Limbo Planisphærij, & transfer è Linea Meridiana utrinque in Circulum ibidem descriptum, & habebis puncta H, 2. & 10. & sic de alijs loquendo. Quòd si aliunde juxta Probl. cit. jam scias Distantiam Arcuum singularum horarum, præfato grano opus non erit, sed gradus singularum horarum jam notos immediatè ex Limbo Planisphærij capere, & à Linea Meridiana utrinque dicto modo in Circulum in Plano descriptum immediatè transferre poteris. Quantum ad Stylum, erigendus is erit supra Lineam Meridianam ad Elevationem Poli 48. gr.

PROBLEMA CLXV.

Verticale non Declinans designare.

Planisphærio ad Com. Elev. Poli dispositꝯ, operare per omnia, ut priùs, nisi quòd Stylus ad dictum Complementum Elev. Poli erigendus sit.

PROBLEMA CLXVI.

Verticale Declinans ope Planisphærij construere.

In omni Verticali quomodocunque Declinante Linea H. 12. semper debet duci ad Horizontem perdendicularis, unde haud difficile erit, ducere Lineam Substylarem juxta cognitam ex Probl. 156. ejus à Meridianâ Distantiam. Planisphærio itaque ad Altitudinem Styli disposito duc Lineam Substylari perpendicularem, quæ proinde erit Linea Æquinoctialis, & in puncto decussationis describe Circulum, in quem à Linea Substylari transferes intervalla singularum horarum, juxta Distantias earum à Substylari suprà inventas, modo suprà dicto. Stylus erigendus est super Linea Substy-

ſtylari juxta Altitudinem ejuſdem ex ſuprà dictis jam notam, eritque Horologium abſolutum.

PROBLEMA CLXVII.

Declinationem Muri ex Altitudine Styli colligere.

Servire poteſt hoc Problema ad antiqua Horologia, ubi ſolus Stylus ſupereſt, quoad Lineas horarias renovanda. Sit itaque Altitudo Styli ſuperſtitis 30. 50. II.

L. S. Alt. Styli, & S. T.	1.970976.
L. S. C. Elev. Poli	— 982551.
	988425.

qui eſt L. S. C. Declin. Muri, nim. 50. gr. adeóque Declinatio Muri erit 40. gr. & quidem versùs Ortum, ſi Stylus tendit ſiniſtrorsùm, versùs Occaſum autem, ſi dextrorsùm.

In Planiſphærio

Axin pone ad Compl. Elev. Poli 42. gr. filum ad Alt. Styli in Limbo 30. gr. 50. min. filúmque in Axi dabit Compl. Decli. Muri

50. gr. adeóque ipsa Declinatio Muri erit 40. gr. Diff. gr. Azimuthi & Dist. umbræ styli rectiá perpendiculari ad Horiz, & Declin.

PROBLEMA CLXVIII.

Datâ Distantiâ Substylaris à Meridianâ, scire etiam Altitudinem Styli.

Dist. Substylaris à Meridiana sit in Horologio, in quo solæ Lineæ absque Stylo sunt superstites, v. g. 30°. 3'. 36''. Complem. verò hujus Dist. 59°. 56. 30''. Jam

L. S. Elev. Poli, & S. T. 1.987107.
L. S. C. dictæ Dist. — 993727.

993380.

residuum erit L. S. C. Alt. Styli, nim. 59°. 10'. sícque ipsa Alt. erit. 30°. 50'.

In Planisphærio

Axin eleva ad Compl. Dist. à Meridiana 59°. 56'. 30''. filum verò ad Elev. Poli in Limbo, & hoc in Linea Axis abscindet 59. gr. 10. min. pro Compl. Altitudinis Styli.

PRO.

PROBLEMA CLXIX.

Invenire, quo tempore Sol incipiat, vel desinat illuminare Murum.

Si Declinatio Muri est versùs Ortum, Distantia Substylaris à Meridiana, nim. 30°. 3′. 30″. subtrahatur ex 90. & provenient 59°. 56′. 30″. pro ultimo puncto illuminationis ante Occasum, qui in horas redacti, indicant H. 3. 59′. 47″. consequenter Murus illuminabitur adhuc paululùm ante H. 4.

Quòd si locò dictæ subtractionis fiat additio Distantiæ Substylaris à Meridiana ad 90. prodibunt 120°. 3′. 30″. qui in tempus redacti dabunt 8. h. 0′. 14″. adeóque Murus inciperet illuminari paulò ante H. 4. si ☉ ibi jam esset supra Horizontem. Si verò Declinatio Muri est versùs Occasum, contrario modo procedendum, & locò Ortûs in priori exemplo accipiendus est Occasus, ac vicissim.

In Planisphærio

Axe ad Elev. Styli 30. gr. 50. min. posito, filum elevetur ad Compl. Distantiæ Substylaris à Meridiana 59. gr. 56. min. dextrorsùm, ibíque granum fige; tum reducto filo ad Horizontem, à grano numera sinistrorsùm horas interceptas usque punctum Arcûs horarij, per quem transit Linea Substylaris, nim. 48. gr. 28. min. à Limbo computatus, & invenies 4. horas proximè, scil. post Meridiem, si Declin. est versùs Ortum, ante Meridiem verò, si est versùs Occasum.

PROBLEMA CLXX.

Datâ Distantiâ cujuscunque Verticalis à Linea Substylari, invenire Arcum horarium, seu Horam illi convenientem.

Sit v. g. Distantia Verticalis 9° 42′ 50″. Alt. Styli 30° 50′ 11″. Jam ergo

S. T. & L. T. dictæ Dist.	1. 923346.
L. S. Alt. Styli	— 970976.
	952370.

qui

qui erit L. T. Distantiæ Arcûs horarij à Substylari, videl. 18°. 28′. 5″. qui gradus subtracti à Dist. Substylaris à Meridiana 48°. 28′. 5″. relinquunt 30. gr. seu 2. horas à Meridie, infra Substylarem, vel si dicta Distantia sit supra eandem, debent addi Distantiæ Substylaris à Meridiana, & provenient 66°. 56′. 10″. seu $4\frac{1}{2}$. hor. proximè.

In Planisphærio

Axin applica Altitudini Styli 30. gr. 50. min. filum ad dictam Verticalis à Substylari Dist. 9. gr. 43. min. ibíque fige granum, & filo ad Horizontem reducto granum in Circulis horarijs à Limbo dabit Dist. Arcûs hor. à Substylari 18. gr. 28. min. Cætera, ut priùs.

PROBLEMA CLXXI.

Dato Arcu Distantiæ à Linea Meridiana in Plano Horizontali, & Altitudine Styli reperire Horam eidem congruentem.

Arcus dictæ Distantiæ sit 23°. 13′. 17″. Alt.

Styli 48. gr. utpote, quæ in Plano Horizontali semper coincidit cum Elevatione Poli. Jam sic

L. T. dictæ Dist. & S. T.	1.963250.
L. S. Alt. Styli	— 987107.
	976143.

residuum erit L. T. Distantiæ ⊙ à Meridie, nim. 30. gr. seu H. 10. ac 2.

In Planisphærio

Axin pone ad Alt. Styli 30. gr. 50. min. filum ad Dist. Horizontalem 23. gr. 13. min. ibíque fige granum, quod filo ad Horizontem reducto in Arcubus horarijs à Limbo indicabit Horam quæsitam 2. vel 10.

PROBLEMA CLXXII.

Datâ Distantiâ à Linea Substylari, invenire Distantiam à Linea Meridiana, seu Horam Diei.

Dist. à Substylari sit 9° 42′ 50″. & Dist. Substylaris à Meridiana sit 30° 3′ 30″. Hi gradus ab invicem subtracti dant Distantiam à Me-

à Meridiana infra Subſtylarem, additi verò ſupra eandem. Quod idem in Planiſphærio inveniri poterit in Æquatore, locò ſubtractionis dictos gradus numerando retrorsùm, vel antrorsùm locò additionis. Atque hâc ipſâ ratione datâ Diſt. à Linea Meridiana, inveniri etiam poterit Diſtantia à Subſtylari, ut conſideranti patebit.


Problematibus Horographicis coronidis locò addimus adhuc ſequens, quod P. Dechales Tom. 4. lib. 2. Gnomon. Propoſ. 37. meritò dicit eſſe magni momenti, cùm eo mediante in quovis Plano deſcribi poſſit Horologium, etiamſi nec Inclinatiò ejusdem, nec Declinatio, nec Linea Meridiana, nec Altitudo Poli ſciatur. Eſt autem hujusmodi.

PROBLEMA CLXXIII.

Tribus umbræ punctis eodem die obſervatis, absque omnibus alijs præcognitis, in quovis Plano Horologium deſcribere.

In Plano quocunque perpendiculariter erigatur Stylus AB, cujus tres umbræ eodem Die obſerventur, nempe C. D. E. ita tamen, ut umbra D. ſit alijs brevior. Ad hæc 3. puncta ducantur ex A. tres Lineæ AC. AD.

AE. & ad has describantur tres perpendiculares æquales Stylo AF. AG. AH. Tum abscindantur FL. & HO. Lineæ DG. æquales, ducantúrque KO. & LS. Lineis AC. & AE. perpendiculares. Ducatur etiam SK. cui Lineæ SN. & KM. sint perpendiculares, Lineis SL. & KO. æquales. Præterea ducatur Linea NM. quæ si cum Linea SK. sit parallela, erit ipsa Linea Æquinoctialis; si verò concurrit cum Linea SK. in puncto v.g. P. tunc Linea PD. erit Æquinoctialis, & consequenter Linea AR. utpote ipsi perpendicularis, erit Substylaris.



Idem

Idem per Logarithmos eruitur hoc modo. Accipiantur tria intervalla à dictis punctis C. D. E. usque ad extremitatem Styli, ac videatur ex ſcala v. g. 1000. partium, quot partes quodvis hujusmodi intervallum contineat, & minimum illorum ſubtrahatur à reliquis duobus, ut habeantur duæ eorum Differentiæ, ſcil. major & minor. Similiter menſura etiam ipſum Stylum, quem ponamus continere 400. partes, minimum verò ex dictis intervallis 690. medium 860. & maximum 1080. adeóque dictæ duæ Differentiæ erunt 170. & 390. His poſitis

L. Numeri Longit. Styli	260206. &
L. Numeri Diff. majoris	259106.
	519312.
L. Numeri Intervalli majoris —	303342.
	215970.

reſiduum erit L. Numeri Lineæ LS. nim. 144.

S. T. & L. Numeri LS.	1. 215970.
L. Numeri Diff. majoris	— 259106.
	956864.

eritque hic L. S. Alt. ☉ ſupra Planum, ſcil. 21. gr. 44. min.

L S. G. Alt. ☉	996797. &
L. Numeri Diff. majoris	259106.
S. T.	x. 255903.

&

& remanebit L. Numeri CS. videl. 362.
Ulterius
L. Numeri Longit. Styli 260206. &
L. Numeri Diff. minoris 223044.

483250.
L. Num. Intervalli medij — 293449.

189801.
residuum erit L. Numeri KO. nim. 79.
ab hoc L. addito S. T. 1189801.
L. Num. Diff. minoris — 223044.

966757.
eritque L. S. Alt. ☉ alterius supra Planum, 27. gr. 43. min.
Denique L. S. C. Alt. ☉ 994707. &
L. Num. Diff. minoris. 223044.

S. T. * 217751.
eritque Log. Numeri Lineæ EK. nim. 150. Per puncta igitur S & K. duc rectam, & supra punctum K. erige Lineolam KM, æqualem Lineæ KO. & perpendicularem Lineæ SK. similiter supra punctum S. erige SN. æqualem SL. ac perpendicularem dictæ Lineæ SK. & per puncta MN. denuò duc rectam, quæ si cum Linea SK. erit parellela, erit ipsa Linea Æquinoctialis, si verò cum Linea SK. concurrat v. g. in puncto P, tunc Linea PD.

PD. erit Æquinoctialis, adeóque huic perpendicularis AR, erit Substylaris, ut suprà.

Pro sequenti Operatione supponitur hîc Regulam, secundùm Spatium Semidiametro Planisphærij correspondens esse divisam in 1000. v. g. partes æquales, juxta dicta f. 174.

In Planisphærio

Axin pone ad Horizontem, & vide, quis gradus Axis congruat Longitudini Styli in Regula, simúlque quis gradus Axis respondeat Differentiæ majori in eâdem Regula. Ad gradum ergò Longitudinis Styli in Limbo eleva Axin, ac Regulam promove ad gradum Diff. majoris in Axi à Centro, & Regula dabit Lineam CL. ac simul in Limbo gradum respondentem Lineæ SL. Reductis posteà Axe & Regulâ ad Horizontem, vide quis numerus Regulæ respondeat gradui SL. & hic numerus dabit Longitudinem Lineæ SL. Eodem modo quæritur Longitudo Lineæ OK. & EK. & ducuntur Lineæ SK, MN, & PD. cum reliquis, ut suprà.

PRO-

PROBLEMA CLXXIV.

Datâ Subſtylari ſeu Inæquiclinatione Plano tam Inclinato, quàm Declinante, invenire Lineam Horizontalem, conſequenter etiam Meridianam Loci, ejúsque à Subſtylari Diſtantiam, item Inclinationem, Declinationem ac Altitudinem Styli.

Ex puncto ſupremo Styli demittatur perpendiculum, cujus bolus infrà ſit acuminatus, punctum in quod cadit bolus, erit Zenith Plani, ex quo ſi recta ducatur per Centrum Styli, erit hæc Meridiana Plani huícque perpendicularis erit Horizontalis, pendulum verò exhibebit gradus Inclinationis Plani. Ad Declinationem inveniendam applica Planiſphærium Lineæ Horizontali, ſicut illud ſuperiùs Probl. 157. applicavimus Muro in ordine ad Declinationem ipſius explorandam. Hoc ipſo autem, quòd jam ſupponatur haberi Subſtylaris, & hîc etiam inventa ſit Meridiana, Diſtantia illius ab iſta per ſe patet. Habitâ autem Diſtantiâ Subſtylaris à Meridianâ tam Declinatio, quàm Altitudo Styli eruitur per Logarithmos hoc modo.

Sit Diſtantia prædicta 18. gr. 44. min, Compl. Inclinationis Plani 23. gr. 51. min,

S.

S. T. & L. T. Dist. Subſtyl. à Mer.	1.953056.
L. S. C. Inclinationis	—960675.
	992381.

qui erit L. T. C. Declinationis, nim. 50. ac proinde ipſa Declinatio 50. gr.

Altitudo verò, ſeu elevatio Styli ſupra Planum ſic indaganda eſt.

L. T. Inclinationis	1035448. &
L. S. C. Declinationis	988425.
S. T.	—2023873.
	1023873.

Reſiduum erit L. T. Alt. Subſtylaris 60. gr. 1. min. Diff. horum graduum, & graduum Elev. Poli, nim. 12. gr. 1. min. erit Elev. Styli, ſeu Poli ſupra Planum in Linea Subſtylari, ita ut extremitas Styli reſpiciat Polum Auſtralem, ſi gradus inventi excedant gradus Elev. Poli, uti hîc, ſecùs verò reſpiciat Polum Borealem.

NB. Si Altitudo Styli inveniatur eſſe omninò nulla ſupra Planum, tunc tale Planum erit Verticale Orientale vel Occidentale, aut Inclinatum Septentrionale. Si verò Altitudo Styli deprehendatur 90. graduum, erit Inclinatum Æquinoctiale.

In Planiſphærio

Quomodò Declinatio inveniatur, diximus

mus suprà; elevatio Styli verò sic reperitur, Axin pone ad Compl. Declin. 40. gr. filum ad Inclinationem 66. gr. 9. min. in Axi, Æquatorem verò ad locum fili in Limbo, ac denique filum ad Compl. Inclinationis 23. gr. 51. min. & hoc in Axi monstrabit 60. gr. 1. min. tum quæratur Differentia horum graduum, & Elevationis Poli, ut suprà &c. Denique ut brevitatis studio multa alia huc afferibilia dissimulemus, unum adhuc valde utiliter notandum venit, Lineam nim. Substylarem in quocunque demùm Plano facillimè inveniri eodem penitùs modo, quo supra fol. 124. diximus, posse in Plano Horizontali inveniri Lineam Meridianam.

Nunc autem ultra ea, quæ in I. Parte de Anticipatione vel retardatione horariâ Ortûs ☉ & Occasûs in Partibus Orientalibus & Occidentalibus, de Terræ dimensione, de Decremento Valoris graduum in Parallelis ab Æquatore remotioribus, de Sphæræ Circulis, de Zonis, Climatibus, ac diversis Terræ Habitatoribus, aliísque ad Geographiam pertinentibus copiosè diximus, ad commonstrandam Planisphærij nostri universalitatem, nonnulla adhuc Problemata Geographica hîc annectemus. Sit itaque

PRO-

PROBLEMA CLXXV.

Invenire gradus Æquatoris competentes Parallelo Loci dati extra Æquatorem.

L. S. C. Alt. Poli v. g. 42. gr.	9825551.84
L. S. Graduum v. g. 10.	9123967.
S. T.	x. 906518.

& residuum erit L. S. Graduum Æquatoris competentium Latitudini Loci dati, nim. 6.° 40.′ 21.″ qui gradus in milliaria redacti (computando unum gradum Æquatoris pro 15. milliaribus, & 4. minuta pro uno milliari Germ.) dabunt 105. milliaria.

In Planisphærio

Axin pone ad Complem. Alt. Poli 42. gr. filum ad gradus datos v. g. 10. in Linea Axis à Centro, filúmque in Limbo dabit gradus Æquatoris Parallelo Loci respondentes, scil. 6. gr. 40. min. Vel:

Sume Circino in Parallelo dato à Linea H. 6. gradus v. g. 10. quæsitos, & transfer

in Æquatorem à Centro Planisphærij, & invenies dictos 6. gr. 40. min. Ex quo patet etiam Dist. 2. Locorum v.g. Viennæ à Schlettstadio celebri Alsatiæ urbe dictis 10. gr. Longitudinis dissitorum esse 105. mill.

PROBLEMA CLXXVI.

Distantiam 2. Locorum sub eadem Longitudine, diversâ tamen Latitudine metiri.

Subtrahe gradus Latitudinis minoris à majori, & habebis gradus v g. 10. qui multiplicati per 15. dant Distantiam in milliaribus Germanicis, cùm gradus Latitudinis æquè sint gradus Circuli Maximi, quàm gradus Æquatoris, ad quam proinde Operationem simplicissimam Planisphærio opus non est.

PROBLEMA CLXXVII.

Distantiam duarum urbium v. g. Parisiensis & Norimbergensis, tam Longitudine, quàm Latitudine differentium calculare.

Juxta Distantias Itinerarias & Observationes in Urania Norica relatas, Lat. Parisiensis

° ' " ° ' "
sis 48. 50. 10. Compl. 41. 9. 50. Latitudo
° ' " ° ' "
Norimbergensis 49. 28. 7. Compl. 40. 31. 53.
° ' "
Longitudo Parisiensis 20. 25. 0. Longitudo
° ' "
Norimbergensis 28. 30. 0. Differentia Lon-
° ' " ° ' "
git. 8. 5. 0. Compl. Diff. Longit. 81. 55. 0.

L. S. Compl. Diff. Longit. {99956635. &
L. T. minoris Compl. Lat. {99319806.

S. T. *x*. 99276441. L. T.

° ' " ° ' "
Inv. I. 40. 14. 56. Compl. verò 49. 45. 4.

Gradus Inv. I. subtrahantur à gradibus majoris Complementi alterius Latitudinis, hoc modo:

	°	'	"
	41.	9.	50.
	40.	14.	56.
quod est Inv. II.	0.	54.	54. Compl.

° ' "
hujus verò 89. 5. 6.

L. S. C. Inv. II. {99999446. &
L. S. Lat. majoris {98808422.

1.98807868.

L. S. C. Inv. I. —98826639.

99981229.

 re-

residuum erit [illegible] Dist. quæsitæ $84^{\circ}.\ 40'.\ 36''.$ adeóque ipsa Dist. erit $5^{\circ}.\ 19'.\ 24''.$ seu juxta hanc supputationem 79¼ milliar. Germ.

In Planisphærio

Posito uno pede Circini in Parallelo unius Latitudinis v.g. Parisiensis 48. gr. 50. min. in Linea Axis, alterum pedem pone ad punctum Paralleli alterius Latitudinis Norimbergensis 49. gr. 28. min. in Circulo horario Differentiæ Longitudinis 8. gr. 5. min. à Linea Axis numerandæ, hanc Circini aperturam transfer ad Lineam Æquatoris à Centro, & habebis Distantiam quæsitam, nim. 5. gr. 19. min.

PROBLEMA CLXXVIII.

Datâ duplici Latitudine duarum urbium v.g. Parisiensis & Norimbergensis, & Distantia earum ab invicem, supputare Differentiam Longitudinum earundem.

Hæc tria addantur

vi-

	o	′	″
videl. Compl. Lat. Parif.	41.	9.	50
Compl. Lat. Norimberg.	40.	31.	53.
& gradus Dist. earum	5.	19.	24.
	87.	1.	7.
hæc Summa dividatur per	2.		
& provenient	43.	30.	34.
ex Semisse subtrahantur gr. Dist.	5.	19.	24.
	38.	11.	10.
L. S. Semissis	983788.		
L. S. ultimi Producti	979114.		
	1.962902.		
L. S. C. Lat. Norimb.	—981282.		
addito S. T.	1.981620.		
L. S. C. Lat. Parif.	—981837.		
denuò addito S. T.	1.999783.		
Summa dividatur per	2.		
dant	999891½.		

qui est L. S. Complementi Semissis Differentiæ Longit. quæsitæ nim.

	o	′	″
tiæ Longit. quæsitæ nim.	85.	57.	30.
adeóque Semissis Diff. Longit. erit	4.	2.	30.
cujus duplum dat ipsam Diff.	8.	5.	

In Planisphærio

In Linea Æquatoris à Centro sume Distantiam utriusque Loci dati 5. gr. 19. min. & posito in Linea Axis uno pede Circini ad gradum Latit. v. g. Parisiensis 48. 50.min. alterum fige in Parallelo alterius Latit. Norimbergensis 49. gr. 28. min. & invenies in Circulis horarijs Differentiam Longitudinis utriusque quæsitam 8. gr. 5. min.

PROBLEMA CLXXIX.

Latitudinem alicujus Loci ignotam ex nota alterius Latitudine, Distantiâ utriusque ac Differentiâ Longitudinis eorum adinvenire.

Sit nota Latitudo Norimbengensis 49. gr. 28. min. 7. sec. cujus Compl. est 40. 31. 53. (° ′ ″) Dist. verò illius à Lutetia v. g. Parisiorum 5. 19. 24. (° ′ ″) & Differentia Longit. utriusque 8. gr. 5. min. Itaque

L

L. S. C. Diff. Longit.		99956635.
L. T. C. Lat. Norimberg.		99319806.
S. T.		1.99276441.
	o / //	
eritque L. T. Inv. I.	40 14. 56.	
L. S. C. Inv. I.	49. 45. 4.	98826639.
L. S. C. Dist.		99981229.
		1.98807868.
L. S. Lat. Norimberg.		— 98808422.
		99999446.

o / //

eritque residuum L. S. Inv. II. 89. 5. 6.

	o / //	
cujus Compl.	o. 54. 54.	additum
gradibus Inv. I. scil.	40. 14. 56.	
dabit Com. Lat. Parisi.	41. 9. 50.	

NB. Si autem scitur, talem locum magis esse Septentrionalem altero, loco additionis debet fieri subtractio.

In Planisphærio

In Æquatore sume Distantiam loci 5. gr. 19. min. & uno pede Circini in Linea Axis posito ad gradum Latit. v. g. Norimbergensis 49. 28. min. alterum applica ad gradum

Differentiæ Longitudinis utriusque in Circulis horarijs, & invenies Latitudinem alterius Loci quæsitam 48. gr. 50. min.

Subnectimus nunc Problemata Trigonometrica, ad alias etiam materias applicabilia, & præcedentium resolutionum demonstrativa, de quibus pro meliori terminorum intelligentia

Prænotamus I. *Angulum Rectum* semper esse 90. graduum, *Acutum* verò quadrante minorem, & *Obtusum* ipso majorem.

Not. II. Duas Lineas Angulum Rectum comprehendentes dici *Crura* vel *Latera*, Lineam verò Angulo Recto oppositam vocari *Hypotenusam*.

Not. III. Angulos designari subinde unicâ Literâ ipsis adscriptâ, subinde tribus, ita tamen, ut Litera media semper indicet Angulum, cui est apposita; sic v. g. fol. 316. in Fig. 4 Angulus superior vel notatur simpliciter Lit. A. vel tribus Literis hoc modo; BAC.

Not. IV. In eâdem figurâ Angulum adjacentem v. g. Cruri BC. vocari Angulum C. Angulum verò A. dici Angulum oppositum Cruri BC.

Not. V. Hypotenusam subinde etiam venire nomine *Basis*, in Obliquangulis tamen *Basis* propriè dicitur Linea, in quam cadit Perpendicularis.

Not.

Not. denique VI. pro Planisphærio, Complementum gradûs, quem occupat Axis in Limbo, denotari in eodem Limbo ab Æquatore. Nunc ergò sit

PROBLEMA CLXXX.

Datâ Hypotenusâ, & Angulo, invenire Crus Angulo oppositum.

Sit fol. 316. in Fig. 4. (quæ semper intelligitur, donec alia figura allegetur) Hypotenusa AC. & Angulus datus A. ut ergò etiam inveniatur Crus BC. Angulo A. oppositum,

L. S. Hypotenusæ AC. &
L. S. Anguli A. addantur,
S. T. verò subtrahatur,
& residuum erit L. S. Cruris BC. quæsiti.

Sic in Problem. 55. Hypotenusa AC. erat Distantia ⊙ ab Æquinoctio proximo, Angulus A. datus verò Declinatio maxima, & Crus ei oppositum BC. erat Declinatio ⊙ quæsita; & sic de Problem. 60. 86. 89. 90. 116. 146. 158. &c. loquendo.

In Planisphærio

Axin pone ad gradus Hypotenusæ in

Limbo, filum ad gradus Anguli in Axi, & filum in Limbo dabit Crus quæsitum. Vel:

Axin pone ad gradus Anguli in Limbo, filum ad Hypotenusam in Linea Axis, & hoc in Limbo notabit Crus quæsitum.

PROBLEMA CLXXXI.

Datô Crure & Hypotenusâ, reperire Angulum Cruri oppositum.

S. T. & L. S. Cruris dati addantur,
L. S. Hypotenusæ subtrahatur,
& dabitur L. S. Anguli quæsiti.

Sic in Problem. 65. Crus datum erat Declinatio ⊙ tunc occurrens, Hypotenusa Distantia ⊙ ab Æquinoctio proximo, Angulus verò quæsitus Declinatio maxima. Idem est de Problem. 69. 70. 71. 76. 118. 126. 147. 167.

In Planisphærio

Axin applica ad gradus Hypotenusæ in Limbo, filum ad gradus Cruris pariter in Limbo, & hoc in Axi dabit Angulum quæsitum. Vel:

Filum pone ad gradus Cruris in Limbo, Axin autem versa, donec filum in eo abscindat gradus Hypotenusæ, & Axis in Limbo dabit Angulum quæsitum.

PRO-

PROBLEMA CLXXXII.

Dato Crure & Angulo ei opposito, determinare Hypotenusam.

S. T. & L. S. Cruris dati addantur,
L. S. Anguli Cruri oppositi subtrahatur,
& prodibit L. S. Hypotenusæ.

Sic in Problem. 59. Crus erat Altitudo H. 6. Angulus illi oppositus Altitudo Poli, & Hypotenusa Declinatio ⊙ quæsita. Idem est de Problem. 88. 104. 117. 148.

In Planisphærio

Axin versa ad Angulum datum, filum promove ad Crus in Limbo, & filum in Axi monstrabit Hypotenusam.

PROBLEMA CLXXXIII.

Dato Crure & Angulo eidem adjacente, detegere etiam alterùm Angulum Cruri oppositum.

L. S. Anguli adjacentis C. &
L. S. C. Cruris BC. addantur,
S. T. verò subtrahatur,
& quod remanet, erit L. S. C. Anguli A. Cruri oppositi.

Sic in Problem. 66. Crus datum erat Declina-

clinatio ☉, Angulus adjacens fuit Angulus Eclipticæ cum Meridiano, Angulus verò A, quæsitus Declinatio Maxima,

In Planisphærio

Axin pone ad Angulum adjacentem, filum verò ad Compl. Cruris in Linea Axis, & filum in Limbo dabit Compl. Anguli quæsiti.

PROBLEMA CLXXXIV.

Datâ Hypotenusâ & Crure, indagare alterum Crus.

S. T. & L. S. Complementi Hypotenusæ addantur,

L. S. verò Complementi Cruris dati subtrahatur,

& residuum erit L. S. Complementi Cruris alterius.

Sic in Problem. 114. Hypotenusa est Complementum Alt. ☉, Crus datum autem Distantia ☉ à Nonagesimo, & Complementum Altitudinis Nonagesimi est alterum Crus quæsitum. Idem est de Problem. 159. 168.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. Cruris, filum ad Compl.

Compl. Hypotenusæ in Limbo, & filum in Axi indicabit Complementum Cruris alterius. Vel:

Filum pone ad Compl. Hypotenusæ in Limbo, Axin versa, donec filum in eo abscindat Complementum Cruris dati, & Axis in Limbo signabit Compl. alterius Cruris.

PROBLEMA CLXXXV.

Dato utroque Crure invenire Hypotenusam.

L. S. C. unius Cruris, &
L. S. C. alterius Cruris addantur,
& subtracto S. T.
residuum dabit Complementum Hypotenusæ.

Sic in Problemate 115. Dist. ⊙ à Nonagesimo est unum Crus, Complementum Alt. Nonagesimi Crus alterum, & Complementum Alt. ⊙ est Hypotenusa.

In Planisphærio

Axin pone ad Compl. unjus Cruris, filum verò ad Compl. alterius Cruris, & filum in Limbo monstrabit Compl. Hypotenusæ.

PRO-

PROBLEMA CLXXXVI.

Datis duobus Angulis invenire quodlibet Crus.

S. T. & L. S. C. Anguli Cruri quæsito oppositi addantur,
L. S. verò alterius Anguli subtrahatur, eritque residuum L. S. C. alterius Cruris quæsiti.

Sic in Problem. 57. Angulus Eclipticæ est Angulus datus, Compl. Declinationis maximæ verò alter Angulus, & Complementum Declinationis datæ Crus quæsitum. Plura exempla redibunt in seqq.

In Planisphærio

Filum move ad Compl. Anguli oppositi in Limbo, Axin verò ad Angulum alterum, & filum in Axi dabit Complementum Cruris.

PROBLEMA CLXXXVII.

Dato Crure & Angulo eidem opposito invenire alterum Angulum.

S. T. & L. S. C. Anguli dati addantur,

L. S. C.

L. S. C. Cruris oppositi subtrahatur, & residuum erit L. S. Anguli quæsiti.

Sic in Problem. 119. Complementum Anguli dati est Compl. Declin. maximæ, Crus oppositum est Compl. Declin. datæ, & Angulus alter est Angulus Gradûs Culminantis cum Meridiano. Plura exempla occurrent in Triangulis Obliquangulis & Tangentibus.

In Planisphærio

Axin applica ad Compl. Cruris dati, filum ad Compl. Anguli eidem oppositi, & filum in Axi dabit Angulum quæsitum.

PROBLEMA CLXXXVIII.

Dato uno Crure & Angulo eidem opposito, explorare alterum Crus.

L. T. C. Anguli dati, &
L. T. Cruris dati addantur,
S. T. verò subtrahatur,
& residuum erit L. S. Cruris quæsiti.

Sic in Problemate 41. Complementum Elevationis Poli erat Angulus datus, Declinatio verò Crus oppositum, & Distantia ab H. 6. Crus quæsitum. Idem evenit in Problem. 46. 58.

In

In Planisphærio

Cùm operatiò per Tangentes in usu Planisphærij difficultatem habeat, ostendemus hîc, quomodò per duas Operationes inveniri possit intentum, per meros Logarithmos Sinuum, absque interventu Tangentium, combinando nim. duo Problemata ex jam præmissis. Itaque

I. Per Problema 182. ex Crure & Angulo opposito, quære Hypotenusam.

II Per Problema 184. ex Crure & Hypotenusa invenies alterum Crus in Problemate præsenti principali quæsitum.

PROBLEMA CLXXXIX.

Datâ Hypotenusâ & Angulo, detegere Crus adjacens Angulo.

L. S. Compl. Anguli dati, &
L. T. Hypotenusæ addantur,
& subtracto S. T. remanebit L. T. Cruris quæsiti.

Sic in Problem. 45. Declinatio Maxima erat Angulus datus, Distantia ab Æquin. proximo autem Hypotenusa, & Ascensio Recta Crus adjacens quæsitum.

In

In Planisphærio, & per meros Logarithmos Sinuum idem habetur.

Si I. per Problema 180. ex Hypotenusa & Angulo, quæratur Crus oppositum, &
II. Per Problema 184. ex Crure & Hypotenusa eruatur alterum Crus, quod erit adjacens quæsitum.

PROBLEMA CXC.

Dato Crure & Angulo adjacente adinvenire Hypotenusam.

L. S. Compl. Anguli dati, &
L. T. Compl. Cruris dati addantur,
& abjecto S. T. residuum erit L. T. Compl. Hypotenusæ inquirendæ.

Sic in Probl. 49. Ascensio Recta erat Crus; Declinatio Maxima Angulus adjacens; & Distantia ab Æquin. prox. Hypotenusa. Idem est de Probl. 120. 130.

In Planisphærio, & per Logarithmos Sinuum

Idem habebis, si I. per Probl. 183. ex Crure

& Ang. adjacente, quæras alterum Angulum.

II. Si per Problema 182. ex Crure & Angulo opposito deducas Hypotenusam, quæ erat indaganda.

PROBLEMA CXCI.

Datâ Hypotenusâ & Angulo, investigare alterum Angulum.

L. S. Compl. Hypotenusæ, &
L. T. Anguli dati addantur,
S. T. subtrahatur,
& habebitur L. T. Compl. Anguli quæsiti.

Sic in Probl. 122. Distantia Gradûs Culmin. ab Æquin. est Hypotenusa, Declinatio Maxima verò Angulus, & Angulus Ecliptica est alter Angulus quæsitus. Sic & in Probl. 124.

In Planisphærio, & per Logarithmos Sinuum.

I. Per Problema 180. ex Hypotenusa & Angulo quære Crus oppositum Angulo.

II. Per Problema 187. ex Crure & Angulo opposito, quære alterum Angulum.

PRO-

PROBLEMA CXCII.

Datis Angulis invenire Hypotenusam.

L. T. Complementi unius Anguli, & L. T. C. alterius Anguli addantur, & subtracto S. T. dabitur L. S. Complementi Hypotenusæ.

Sic in Problemate 123. Declinatio Max. est unus Angulus, & Angulus Eclipticæ est alter Angulus, Distantia verò ab Æquin. proximo est Hypotenusa.

In Planisphærio & per Logarithmos Sinuum.

I. Per Problema 186. ex duobus Angulis quære Crus quodcunque; &

II. Per Probl. 182. ex Crure & Angulo eidem opposito quære Hypotenusam.

PROBLEMA CXCIII.

Datis Cruribus assignare quemlibet Angulum.

S. T. & L. T. unius Cruris addantur,

L. S. Cruris adjacentis Angulo quæsito subtrahatur, & residuum erit L. T. Anguli quæsiti.

Sic in Probl. 125. Complementum Alt. Nonagesimi est Crus unum, & Distantia ☉ à Nonagesimo est alterum Crus, Angulus verò Eclipticæ cum Verticali est Angulus quæsitus. Sic & Probl. 67, 68.

In Planisphærio & per Logarithmos Sinuum.

I. Per Probl. 185. ex utroque Crure quære Hypotenusam, &

II. Per Problema 181. ex Crure & Hypotenusa quære Angulum Cruri oppositum.

PROBLEMA CXCIV.

Datâ Hypotenusâ & Crure eruere Angulum comprehensum.

L. T. Compl. Hypotenusæ, &
L. T. Cruris dati addantur,
S. T. subtrahatur,
& remanebit L. S. Complementi Anguli quæsiti.

Sic

Sic in Probl. 126. Distantia ⊙ à Nonagesimo est Crus, Complementum autem Alt. ⊙ est Hypotenusa, & Angulus Eclipticæ cum Verticali est Angulus quæsitus, & in Probl. 78. 131.

In Planisphærio & per Logarithmos Sinuum

Idem invenies, si I. per Probl. 184. ex Hypotenusa & Crure quæras alterum Crus, &

II. Per Probl. 181. ex Crure & Hypotenusa inquiras Angulum oppositum Cruri.

PROBLEMA CXCV.

Dato Crure & Angulo ei adjacente, invenire alterum Crus.

L. S. Cruris dati, &
L. T. Anguli dati addantur,
& abjecto S. T. restabit L. T. Cruris alterius.

Sic in Probl. 56. Ascensio Recta est Crus datum, Declinatio verò Maxima est Angulus datus, ac Declinatio ⊙ alterum Crus.

In Planisphærio, & per Logarithmos Sinuum.

I. Per Problema 183. ex Crure & Angulo adjacente quære alterum Angulum, &

II. Per Probl. 186. ex Angulis quære alterum Crus.

Nunc de Triangulis Sphæricis Obliquangulis agendum, ubi denuò

Not. I. fol. 316. in Fig. 6. & 8. Literæ A. B. C. denotant tres Angulos Obliquanguli, ita ut Angulus B, semper sit ille, qui est notus, Angulus A, verò semper sit ille, ex quo ducenda est Perpendicularis.

Not. II. Perpendicularem semper cadere ex A. versùs Basin BC. subinde intra Triangulum, subinde extra.

Not. III. Punctum, in quod cadit Perpendicularis, insigniri Lit. D.

Not. IV. Si Anguli B. & C. sunt acuti, seu minores Recto, Perpendicularis semper cadit intra Triangulum, ut patet ex Fig. 6. si verò Angulus C. est obtusus, cadet extra Triangulum ultra C. in D. ut in Fig. 8. Quòd si denique Angulus B. est obtusus, seu major 90. gr. tunc Perpendicularis cadet in alterum Latus ultra B.

Not. V.

Not. V. Latus AB. semper supponitur esse notum, sícque Latus AB. erit Hypotenusa, ex qua unà cum Angulo B. Obliquangulum resolvitur in duo Rectangula, adeóque Latus AC. erit Hypotenusa alterius Rectanguli, & BD. Crus unũ, CD. verò Crus alterum.

Notandum denique VI. Si Angulus vel Latus aliquod est majus Quadrante, tunc ut habeantur eorum Logarithmi, debet Complementum sumi ex 180. Jam igitur sit

PROBLEMA CXCVI.

Datis duobus Lateribus, & Angulo uni eorum opposito, detegere Angulum oppositum alteri.

Sit in Fig. 6. vel 8. v. g. notus Angulus B. & Latus AC. illi oppositum, ac insuper Latus BC. sítque inquirendus Angulus A, oppositus Lateri BC. Itaque

L. S. Anguli B. &

L. S. Lateris BC, oppositi Angulo quæsito, addantur,

L. S. verò Lateris AC. Angulo B. dato oppositi subtrahatur, & residuum dabit L. S Auguli A, quæsiti.

Sic in Probl. 110. Angulus B. ponitur esse Distantia à Meridie, Latus AC. verò ei op-

Positum esse Complementum Alt. ⊙, & Latus BC. oppositum Angulo Azimuthali quæsito, ac denique Angulus A. quæsitus erit Azimuth à Septentrione. Idem est de Probl. 82. 83. 84. 85. 107. 135. & 149.

In Planisphærio

Axin pone ad gradus Lateris BC. filum ad Angulum B. in Axi à Centro, Axin revolve ad gradus Lateris AC, & filum in Axi dabit Angulum A.

PROBLEMA CXCVII.

Datis duobus Angulis, & Latere uni eorum opposito, indagare Latus oppositum alteri.

Sint noti duo Anguli A. & B. unà cum Latere BC. opposito Angulo A. & sit inveniendum Latus AC. oppositum Angulo B. Itaque

L. S. Lateris dati BC. &

L. S. Anguli B. adjacentis dicto Lateri dato, addantur,

L. S. verò Anguli A. Lateri dato oppositi subtrahatur, & residuum erit L. S. Lateris AC. quæsiti.

Sic

Sic in Probl. 94. Latus BC. datum supponitur esse Complementum Declinationis; Angulus verò B. Distantia à Meridie, & Angulus A. Azimuth a Septentrione, & Complementum Alt. ☉. quæsitùm Latus AC. Eadem est ratio de Probl. 61. 74. 139. & 144.

In Planisphærio

Axin pone ad notum Latus BC, filum autem ad Angulum B. in Axi; tùm Axin revolve ad Angulum A. & filum in Axi dabit Latus AC. quæsitum.

PROBLEMA CXCVIII.

Datis duobus Lateribus & Angulo comprehenso invenire Latus tertium.

Sint data Latera AB. & BC. & Angulus B. & quærendum Latus AC.

I. Itaque ex Angulo B. & Hypotenusâ AB. per Problema 189. quæratur Crus BD. pro Invento I.

II. Differentia BD. & BC. si Perpendicularis cadit intra Triangulum, erit Inventum II. Si verò cadat extra Triangulum, tunc ipsa

ipsa Summa BD. & BC. erit Inv. II. seu Crus CD. si scilicet B. vel C. sint Anguli obtusi.

III Denique L. S. C. Lat. AB.
L. S. C. Inv. II. seu CD. addantur,
L. S. C. Inv. I. subtr. remanebit L. S. C. Lateris AC.

Sic in Problem. 95. Angulus B. est Distantia ⊙ à Meridie, Latus BC. verò Com. I. Declinationis, & Latus AB. Complem Elev. Poli. Idem contingit in Probl. 77. Operatione 3. item 64. 81. 96. & 141.

In Planisphærio

Inv. I. & II. quæratur ex supradictis 5 tum filum pone infra Horizontem ad Crus CD, quod est Inv. II. in Æquatore ab extremitate, & filum in Limbo dabit Latus AC. quæsitum. Vel;

Axin constitue ad Verticem 90. filum applica ad gradum Complementi Lateris BC. granum verò fige in Circulo horario Anguli B. à Limbo sinistro. & Axe sinistrorsùm ad Compl. alterius Lateris AB. revoluto, granum in Parallelo dabit Compl. Lateris AC. quæsiti.

PRO-

PROBLEMA CXCIX.

Datis duobus Lateribus, & Angulo comprehenso, invenire alium quemlibet Angulum.

Sint duo Latera AB. & BC. Angulus verò comprehensus sit B. & inde quærendus Angulus C. nam Latus AB. hîc semper debet esse oppositum Angulo quæsito. Itaque

I. Inv. I. seu Latus BD. quæratur sicut in Probl. præcedenti.

II. Differentia BD. & BC. vel Summa eorum, si Angulus B. aut C. sunt obtusi, erit Inv. II. seu Latus CD.

III. L. S. BD. &
L. T. B. addantur,
L. S. Lat. CD. subtrahatur,
& residuum erit L. T. Anguli C.

Ubi notandum est, si Angulus C. est obtusus, subtractionem fieri debere ex 180. Sic in Probl. 111. Compl. Declin. ☉ & Elevatio Poli sunt duo Latera, & Distantia ☉ à Meridie est Angulus comprehensus, Azimuth verò est Angulus oppositus Complemento Declinationis quæsitus. Idem est de Probl. 138. & 151.

In

In Planisphærio

Axin pone ad Verticem 90. Filum ad Compl. Lateris Angulo quæsito oppositi in Limbo, granum autem fige in Circulo horario Anguli à Limbo sinistro; tum Axin revolve sinistrorsùm ad Compl. alterius Lateris, & granum in Circulo horario à Limbo dextro dabit Angulum C. quæsitum.

PROBLEMA CC.

Datis duobus Lateribus & Angulo uni eorum opposito invenire tertium Latus.

Duo Latera sint AB. & AC. Angulus oppositus Lateri AC. sit B. & exinde indagandum Latus BC. Itaque

Inv. I. seu Crus BD. quæratur ut suprà. Deinde

L. S. C. Lat. BD. Inv. I. & L. S. C. Lateris AC. addantur,

L. S. verò Compl. Lateris AB. subtrahatur, & dabitur L. S. Cruris DC. Summa itaque DC. & BD. vel si Angulus D. aut C. est obtusus, Differentia utriusque erit Latus BC. quæsitum. Sic

Sic in Probl. 62. Latus AB. est Compl. Elev. Poli, &c. Latus AC. Compl. Alt. ☉, Angulus verò B. oppositus Lateri AC. est Dist. ☉ à Mer. ac denique Latus BC. quæsitum Complem. Declinationis. Eadem est ratio de Probl. 72. 73. 97. 140. & 143. 145. 179.

In Planisphærio

Inv. I. quæratur ut suprà. Filum dein pone infra Horizontem ad Compl. Lateris AC. in Limbo, hócque in Æquatore dabit Latus DC. ab extremitate, reliqua verò fiant ut suprà. Vel:

Axin pone ad Compl. Lateris adjacentis Angulo dato sinistrorsùm, filum verò ad Compl. alterius Lateris Angulo oppositi in Limbo, & filum in Circulo horario Anguli dati à Limbo dextro indicabit Parallelum Complementi tertij Lateris.

PROBLEMA CCI.

Datis duobus Angulis, & Latere uni eorum opposito, invenire Latus interjacens Angulis.

Sint duo Anguli dati B. & C. Latus Angulo C. oppositum sit AB. Latus verò interjacens BC. Iam

L. S. C. Anguli B. &

L. T. Lateris AB. addantur,

S. T. verò subtrahatur,

& remanebit L. T. BD. Inventi I. Rursus

L. T. Anguli B. &

L. T. BD. addantur,

L. T. verò Anguli C. subtrahatur;

& residuum erit L. S. CD. seu Inventum II.

Summa igitur graduum BD. & BC. vel si C. aut B. est Angulus obtusus, Differentia eorundem erit Latus BC. quæsitum.

Sic in Probl. 75. Distantia ⊙ à Mer. est Angulus C. & Azimuth à Septentrione Angulus B. Latus verò AB. Angulo C. oppositum est Compl. Alt. ⊙, ac denique Latus BC. quæsitum est Compl. Alt. Poli.

In Planisphærio

Axin dispone ad Zenith 90. filum verò ad Compl. Lateris dati in Limbo, & granum figе in Circulo horario Anguli B. tum Axin versa sinistrorsùm, donec granum à Limbo dextro attingat Circulum horarium Anguli C. & Axis in Limbo denotabit Latus BC. quæsitum.

PRO-

PROBLEMA CCII.

Datis duobus Angulis & Latere interjacente invenire quodlibet alterum Latus.

Sint Anguli dati A. & B. & Latus AB. quærendum verò Latus AC. hîc enim Perpendicularis semper ducitur ex Angulo Lateri quæsito adjacente. Igitur
L. S. C. Lateris dati AB. &
L. T. Anguli B. Lateri quæsito oppositi addantur,
S. T. verò subtrahatur,
& residuum erit L. T. Inventi I. cujus Complementum est Angulus BAD. Differentia autem hujus Anguli & alterius Anguli BAC. vel, si Angulus B. aut C. est obtusus, eorum Summa erit Inv. II. seu Angulus CAD. Jam igitur
L. S. Inv. I. seu Complem. Anguli BAD. &
L. T. Lateris dati AB. addantur,
L. S. autem Complementi Inventi II. seu Anguli CAD. subtrahatur, & remanebit L. T. Lateris AC. quæsiti.

Sic in Probl. 98. Distantia ☉ à Mer. est Angulus B. Azimuth à Septentrione verò Angulus A. & Latus interjacens est Compl. Ele-

Elev. Poli, ac denique Latus AC. quæsitum est Compl. Alt. ⊙ quæsitæ. Idem est de Probl. 63. 142.

In Planisphærio.

Axin pone ad Angulum B. filum ad Latus interjacens in Linea Axis, & Axe ad locum fili revoluto, filum deprime infra Horizontem ad Compl. Anguli B. filúmque in Æquatore ab extremitate dabit Inv. I. hujus Complementum adde vel subtrahe, juxta dicta, Angulo B. & erit Inventum II. Prætereà filum deprime infra Horizontem ad gradus Inventi II. in Æquatore à Centro, hunc verò applica ad locum fili, filum verò pone ad punctum, ubi anteà erat Axis supra Horizontem; quod propterea antecedenter notandum erit; filúmque in Linea Axis dabit Compl. Alt. ⊙ quæsitæ.

PROBLEMA CCIII.

Datis duobus Angulis & Latere interjacente, invenire tertium Angulum.

Sint Anguli dati A. & B. cum Latere AB. inde verò quærendus Angulus C.

L. S.

L. S. Compl. Lateris dati AB. &
L. T. Anguli B. addantur,
subtracto S. T. dabitur L. T. Inventi I. cujus Complementum dabit Angulum BAD. Differentia autem BAD. & BAC. vel si Angulus C. aut B. est obtusus, eorum Summa erit Inv. II. seu Angulus CAD. Ulteriùs
L. S. Inv. II. &
L. S. Compl. Anguli B. addantur,
L. S. verò Compl. Inventi I. subtrahatur,
& remanebit L. S. Compl. Anguli C. quæsiti.

Hujus Problematis in præcedentibus nullum occurrit exemplum, sed quivis ipsemet sibi formare poterit.

In Planisphærio

Inventum I. & II. quæritur, ut in Probl. præcedenti. Filum deinde pone ad Inv. II. infra Horizontem in Æquatore à Centro, filúmque in Limbo dabit Compl. Anguli quæsiti.

PROBLEMA CCIV.

Datis duobus Lateribus, & Angulo uni eorum opposito, eruere Angulum comprehensum.

Sint data Latera AB. & AC. unà cum Angulo B. opposito Lateri AC. Itaque

L. S. Compl. Lateris AB. &
L. T. Anguli B. addantur,
subtracto S. T. remanebit L. T. Inventi I. cujus Compl. est Angulus BAD. Rursùs
L. T. Lateris AB. &
L. S. Inv. I. addantur,
L. T. verò Lateris AC. subtrahatur,
& residuum erit L. S. Compl. Anguli CAD. quæsiti.

Summa graduum Inv. II. & Compl. Inv. I. vel, si Angulus B. aut C. est obtusus, Differentia eorum erit Angulus quæsitus.

Sic in Probl. 112. Compl. Elev. Poli est Latus AB. & Compl. Alt ☉ est Latus AC. Angulus autem ei oppositus est Distantia ☉ à Meridie. Idem est in Probl. 103. 137. & 152.

In Planisphærio

Axin pone ad Latus AB. filum ad Latus AC. oppositum Angulo dato in Limbo, & granum fige in Circulo horario Anguli dati à Limbo dextro, Axin verò verte ad 90. granúmque dabit Circulum horarium Anguli quæsiti à Limbo sinistro.

PRO-

PROBLEMA CCV.

Datis duobus Angulis, & Latere uni eorum opposito invenire Angulum tertium.

Sint dati duo Anguli B. & C. atque etiam Latus AB. oppositum v. g. Angulo B. Jam
L. S. Compl. Lateris dati AB. &
L. T. Anguli B. addantur,
S. T. subtrahatur,
&remanebit L. T. Inventi I. cujus Compl. est Angulus BAD. Similiter
L. S. Compl. Anguli C. &
L. S. Compl. Inv. I. addantur,
L. S. verò Compl. Anguli B. subtrahatur,
& residuum erit L. S. Anguli CAD. seu Inventum II.

Summa Inv. II. & Compl. Inventi I. vel, si alteruter Angulus est obtusus, eorum Differentia erit Angulus A. quæsitus.

In Planisphærio

Axin colloca ad Latus AB. filum verò ad Angulum B. in Axi; Axin dein repone ad locum fili in Limbo, filum autem deprime infra Horizontem ad Compl. Anguli B. in

Limbo,& filum in Æquatore ab extremitate dabit Inv. I. Denique filum pone ad Compl. Inventi I. pariter infra Horizontem in Limbo, & filum in Æquatore à Centro indicabit Angulum CAD, seu Inventum II, & reliqua fiant ut suprà.

PROBLEMA CCVI.

Datis tribus Lateribus invenire quemlibet Angulum.

Addantur omnia tria Latera, & Summa dividatur per 2. ex Semisse subtrahatur Latus oppositum Angulo quæsito, ut habeatur Differentia Basis. Dein
L. S. Semissis &
L. S. Differentiæ Basis addantur,
L. S. autem unius Lateris adjacentis Angulo quæsito subtrahatur, & à residuo (præfixa unitate, seu addito S. T.) subtrahatur L. S. alterius Lateris, & habebitur Logarithmus, qui rursùs addito priùs S. T. divisus per 2. dat L. S. cujus Complementi gradus duplicati dant Angulum quæsitum.

NB. Locò subtractionis Logarithmi cujuslibet Lateris potest fieri additio Complementi Arithmetici, ut jam sæpiùs dictum est.

Sic in Probl. 106. Distantia ☉ à Mer. est An-

Angulus quæsitus, tria Latera verò sunt Compl. Alt. ☉, Complementum Elev. Poli, & Complementum Declinationis. seu Distantia ☉ à Polo Arctico, quæ in Æstate semper coincidit cum Compl. Declinationis, in Hyeme verò ipsa Declinatio ☉ addenda est ad 90. Logarithmus tamen talis Distantiæ semper erit Complementum Declinationis. Idipsum observandum est in Probl. 79. 80. & 108. 136.

In Planisphærio

Filum applica ad Compl Lateris Angulo quæsito oppositi in Limbo, Axin verò ad Compl. alterius Lateris adjacentis minoris, & filum in Parallelo Complementi Lateris adjacentis majoris dabit Angulum in Circulo horario à Limbo dextro.

Absolutis jam Rect- & Obliquangulis sphæricis, pro Complemento hujus Opusculi paucis adhuc de Triangulis Rectilineis agendum, atque unà, quomodò Planisphærium nostrum tam Alti- quàm Planimetriæ quoque deserviat, ostendendum erit.

Ubi tamen prævie observandum venit I. id, quod suprà fol. 174. de divisione Regulæ in 100. vel 1000. partes diximus, etiam de Axi, intelligendum esse, ita ut dimidia pars

Axis v. g. Borealis, modo, quo diximus fol. 165. in suos 90 gradus, altera Medietas verò Australis ejusdem Axis pariter in 100. partes, ob maximam commoditatem ac facilitatem, quæ ex dicendis in usu Planisphœrij taliter divisi relucebit, utilissimè dividatur.

Observandum II. dictas 100. v. g. partes posse sumi pro 1000. 10000. vel etiam 100000 partibus, ita ut 10. ejusmodi partes tali casu æquivaleant 100. vel 1000. partibus, & sic de reliquis. Vel cui hoc minùs placet, deberet numerum partium Cruris aut Hypotenusæ tot cyphris seu figuris ad dexteram resectis decurtare, quot cyphris excederet numerum Centenarium, uti constat ex dictis fol. 166. de Tabula Sinuum respectu Scalæ 1000. partium. Vel denique deberet excessus ille ultra centum redigi in fractiones, ita ut si numerus partium superet numerum centenarium unâ figurâ, hæc scribi debeat supra Lineolam transuersam, & infra eandem 10. si duabus figuris excedat, infrà poni debeant 100. hoc modo: $\frac{6}{10}$ vel $\frac{25}{100}$. &c.

Observandum III. per dictam divisionem Regulæ, si partibus istius in Horizonte conjungantur gradus Axis Borealis, ad oculum patere, quot gradus competant cuilibet Sinui, vel vicissim; sic enim videbis, quòd 42. gra-

gradibus competatSinus 66 $\frac{2}{10}$ partium, & sic de alijs.

Observandum IV. per dictam divisionem Semi-Axis Australis in 100. vel 1000. partes, dato v. g. Crure & Angulo, hoc ipso etiam haberi Hypotenusam, vel notâ Hypotenusâ & Crure, etiam indicari Angulum, & universim datis duobus quibuscunque, semper exhiberi in Planisphærio etiam tertium. Quia verò ista ex mox dicendis per se patebunt, hîc pluribus declarare supersedeo.

Observandum V. in omni Triangulo Rectilineo tres ejusdem Angulos æquivalere duobus Rectis. Hinc autem necessariò etiam consequitur

Observandum VI. & Ultimum, nim. in Triangulo Rectangulo unum Angulum acutum semper esse Complementum alterius: in Obliquangulis verò Rectilineis, Sumâ duorum Angulorum cognitorum à 180. subtractâ, residuum hoc ipso etiam detegere tertium Angulum. De his itaque sit

PROBLEMA CCVII.

Datis Angulis alicujus Trianguli Rectanguli, & Crure utrolibet, assignare alterum Crus.

Sit juxta Fig. 3. fol. 316. in Triangulo dimensionis v. g. Turris Landishutanæ no-

tum Crus BC. seu distantia à Turre 500. pedum, & Angulus à Dioptra abscissus $39^{\circ}.\ 38'.\ 30''$. indéque quærendum sit Crus AB, altitudinis Turris. Itaque

L. Numeri Cruris BC. { 269897. &
L. T. Anguli C. Cruris adjacent. { 991803.

S. T. +. 261700.

eritque residuum L. Numeri 414. pedum, quot pedes nim. dictæ Turris altitudo communiter creditur continere.

In Planisphærio

Partem Axis Australem, divisam in 100. partes, applica ad gradus dicti Anguli 39.gr. 38. min. in Limbo, ac Regulam similiter divisam promove, donec in ea numerus Cruris 500. (seu decurtatè 50.) attingat Lineam Axis; tum Axin revolve ad 90. & Regula in Axi monstrabit altitudinem Turris quæsitam, nim. 41 $\frac{4}{10}$ seu 414. pedum.

PRO-

PROBLEMA CCVIII.

Datis Angulo & Crure ei opposito, invenire Hypotenusam.

Sit exploranda Longitudo scalæ certæ altitudini v. g. 30. pedum (quam in priori Fig. refert Crus AB.) applicandæ, & Angulus, quem facit Radius Visualis observantis dictam altitudinem, sit 60. gr. Iam

S. T. & L. Numeri Cruris dati	1.147712.
L. S. dicti Anguli oppositi	— 993753.
	153959

qui est L. Numeri pedum scalæ, seu Hypotenusæ quæsitæ, nim. 34. ped. 7¾ digit. proximè.

In Planisphærio

Partem Axis Australem in 100. vel 1000. divisam obverte puncto Verticali 90. Regulam eleva, donec in Axi abscindat numerum Cruris 30. & Axe ad gradum Anguli oppositi 60. revoluto, Regula in Linea Axis indicabit numerum scalæ, seu Hypotenusæ, nim. 34⅔. pedum proximè.

PROBLEMA CCIX.

Datâ Hypotenusâ & Angulo invenire Crus Angulo oppositum.

Sit in superficie Terræ nota Hypotenusa AC. 500. pedum, & Angulus C. 53. 7. 53. sit autem inveniendum Crus AB. Angulo C. oppositum, quod aliàs propter ædificium vel lacum v. g. interjacentem inter A. & B. secundùm se inaccessibile est, & mensurari non potest. Itaque

L. NumeriHypotenusæ { 269897 &
L. S. Ang. oppositiCruri quæsito { 990309.

S. T. x. 260206.
eritque residuum L. NumeriCruris AB. 400. pedum.

In Planisphærio

Axin Australem pone ad Angulum 53. gr. 8. min. in Limbo, Regulam verò ad Numerum Hypotenusæ 50. in Axi, & Axe ad 90. converso, Regula in Axi designabit Numerum Cruris AB. 40. pedum.

PRO-

PROBLEMA CCX.

Datis Cruribus invenire quemlibet Angulum.

Sit Crus AB. altitudo Domûs 50. pedum, Crus alterum verò BC sit umbra inde à Sole projecta 120.proximè seu 119⅝ pedum; inquiritur ergò Angulus C. seu Altitudo Solis Geometricè, etiam absque opeQuadrantis, ut ex Tabula Altitudinum Solis supra Horizontem, inferiùs ponenda, erui etiam possit Hora Diei. Itaque

S. T. & L. Numeri Cruris AB.	1.169897.
L. Numeri Cruris BC.	−207854.
	962043.

eritque residuum L. T. Anguli quæsiti, seu Altitudinis ☉ nim. 22.gr. 39. min. qui gradus, si cum dicta Tabula Altitudinum ☉ conferantur, ostendent, Sole in 10. gradu ♈. vel 20. ♍. tunc existente, fore H. 8. Mat. vel 4. vesp. Idem haberi potest ex propria hominis umbra ac altitudine, quæ reputatur esse 6½ suimet pedis, sive magnæ, sive parvæ staturæ sit, si operatio fiat, ut priùs: præstabit tamen dictos 6½ pedes redigere in 78. digitos, ut operatio tantò exactiùs institui possit.

In

In Planisphærio

Partem Axis Auſtralem diſpone ad verticem 90. Regulam verò ad Numerum Cruris AB. 50. ſeu decurtatè 5. in Axi (ſumendo, nim. hîc 10. pro 100.) tunc Axin verſa, donec is tangat numerum alterius Cruris BC. nim. 120 (vel abbreviatè 12.) in Regula, & Axis in Limbo dabit Angulum C. quæſitum, videl. 22. gr. 39. min.

PROBLEMA CCXI.

Datâ Hypotenusâ & uno Crure, perveſtigare Angulum oppoſitum.

In exemplo. Funirepus quiſpiam pro ſuo deorsùm in terram deſcenſu ſubtendit funem 72. pedum, unâ ſui parte inferiùs firmatum, alterâ verò $46\frac{1}{4}$. pedibus elevatum, ut adeò funis in ſæpè dictâ noſtrâ Fig. 3. referat Hypotenuſam AC. altitudo autem funis à terra ſit Crus datum AB. cujus proinde Angulus oppoſitus C. abſque omni Quadrante, vel alio ſimili Inſtrumento inquiritur. Jam ſic

S. T.

S. T. & L. Numeri Cruris AB.	1. 166539.
L. Numeri Hypotenusæ	— 185733.
	980806.

qui erit L. S. Anguli C. seu altitudinis funis, nim 40. gr.

In Planisphærio

Axe Australi ad 90. dispositο, Regulam pone ad numerum Cruris AB. $46\frac{1}{4}$. in Axi, tum verò Axin versa, donec numerus Hypotenusæ 72. in eodem Axi attingat Regulam, & Axis in Limbo dabit Angulum 40. gr. quæsitum.

NB. Cùm juxta observandum ultimum fol. 487. Angulus inventus sit Complementū alterius Anguli acuti A. evidens est, istum fore 50. grad. unde haud difficile erit, per Probl. 209. ex Hypotenusa & dicto Angulo quærere etiam alterum Crus illi oppositum BC. seu distantiam inferioris extremitatis dicti funis à Muro.

PRO-

PROBLEMA CCXII.

Datis Angulis & Crure alterutro determinare Hypotenusam.

Sit in priori exemplo notum Crus AB. seu altitudo funis $46\frac{1}{4}$. ped. & Angulus illi oppositus C. 40. gr. ut ergò etiam sciatur longitudo chordæ subtensæ AC.

S. T. & L. Numeri Cruris dati 1, 166539.
L. S. Anguli C. — 980806.

185733.

residuum dabit L. Numeri Hypotenusæ AC. seu funis, nim. 72. pedum.

In Planisphærio

Axe Australi ad punctum 90. converso, Regulam promove, usque dum attingat numerum Cruris dati $46\frac{1}{4}$ in Axi; tum Axin pone ad Angulum datum 40. in Limbo, & Regula in Axi monstrabit Hypotenusam AC. seu Longitudinem chordæ 72.

NB. Poterit etiam per Probl. 210. ex Cruribus inveniri quilibet Angulus, & exinde vi præsentis Problematis quæri Hypotenusa.

PRO-

PROBLEMA CCXIII.

Datis duobus Angulis & Basi, indagare Perpendicularem.

Sit in Fig. 7. metienda Perpendicularis AD. v. g. Turris B. V^is^ Monachij imprimis ex Basi Horizontali. Sit autem Angulus B. minor 32. gr. 18. min. Angulus C. major 58. consequenter Differentia utriusque 25. gr. 42. min. similiter Basis BC. 316. pedum. Itaque

L.S. Anguli minoris B.	972782. &
L. S. NumeriBasis BC.	249968.
	1. 222750.
L. S. Differ. Angulorum	— 963714.
qui estL. Num. Hypot. AC.	259036. n. 390. p.
L. S. Anguli majoris C.	992842.
S. T.	2. 251878.

& residuum erit L. Perpendicularis A D. 330. cui si addantur 6. pedes à Terra usque ad oculum observantis intercepti, provenient 336. pedes pro Altitudine Turris Divæ Virginis Monachij.

Quòd si observatio Turris fiat ex Basi Verticali, operatio est eadem cum priore, nisi quòd locò L. S. Anguli minoris, sumendus sit L. S. Complementi ejusdem. Pro exemplo pono

pono observationem dictæ Turris, in Monasterio nostro per duas stationes, unam nim. è fenestra superiori, & alteram in pavimento inferiore factam, ubi Angulus major erat 34. gr. 45. min. minor verò 32. gr. 7. min. & consequenter eorum Differentia 2. gr. 38. min. Basis denique Verticalis erat 31. pedum & 5. digitorum proximè. Itaque

L. S. Compl. Anguli minoris	992786. &
L. Numeri Basis	149700.
	1.142486.
L. S. Differentiæ utriusq; Anguli	866223.
qui est L. Num. Hypotenusæ 579.	276263.
huic addatur L. S. Anguli majoris	975587.
S. T.	4. 251850.

& residuum dat L. Numeri Altitudinis quæsitæ, nim. 330. quibus si addantur dicti 6. pedes à terra usque ad oculum observantis, prodibunt denuò 336. pedes pro tota Altitudine Turris priùs memoratæ.

In Planisphærio

Pro hoc exemplo Basis Verticalis Axin pone ad Compl. Ang. min. 57 gr. 53. min. Regulam verò ad Numerum Basis in Axi 3 $\frac{1}{10}$ & Axe ad Differentiam Angulorum 2 gr. 38. min.

38. min. revoluto, Regula in Axi dabit numerum Hypotenusæ $57\frac{2}{10}$. Tum Axin statue ad Angulum Majorem 34. gr. 45. min. Regulam autem ad Numerum Hypotenusæ $57\frac{2}{10}$. in Axi, hócque ad 90. revoluto, Regula in eodem Axi monstrabit 330. quibus si addantur 6. pedes, ut suprà, habetur tota altitudo Turris.

Pro primo exemplo verò, & Basi Horizontali, Axis disponatur ad Angulum Minorem, qui fuit 32. gr. 18. min. reliqua autem omnia fiant, ut priùs.

PROBLEMA Ultimum.

Datis duobus Angulis, & uno Latere, determinare quodlibet aliud.

In exemplo detur in Fig. 5. Angulus B. 46. gr. & Latus illi oppositum AC. 126. pedum, detur autem insuper Angulus C. 55. gr. & sit indagandum Latus huic oppositum AB. quod ponitur esse inaccessibile. Igitur

L. Numeri Lateris dati AC	2100037. &
L. S. Ang. C. Lateri quæs. oppositi	9913336.
	1.201373.
L. S. Ang. B. Lateri dato oppositi	985693.
	215680.

residuum erit L. Numeri Lateris AB. inaccessibilis quæsiti, nim. $143\frac{1}{2}$ ped. proximè.

In Planisphærio

Per Problema 195. ex Latere & Angulo adjacente quære Crus huic oppositum; tum verò per Problema 208. quære Hypotenusam, seu Latus AB.

Cognitis taliter Triangulis Rectilineis, possent locò priorum innumera alia formari exempla quoad dimensiones tam in Plano, quàm in Altum, & in Profundum.

